

www.e-rara.ch

**Commentarius Criticus de Scriptis & Scriporibus Historicis, Tam Antiquis,
Quam Novis, ad Faciliorem Et Veriorem Historiæ Qua Ecclesiasticæ Qua
Profanæ Notitiam Concinnatus**

Schütz, Heinrich

Ingolstadii, & Monachii, Anno MDCCLXI

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rp 64 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-66087>

C.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

mârit, pulsatoque diu lapide, eliso tandem capite interiêrit. Quod quidem comentum pluribus postmodum argumentis confutavit Wadinghus; sed & Bzovius jam ante Wadinghum facilè hujus fabulæ indicia subodorari poterat, si, ut fieri oportuit, paulò magis indagare libuisset in re sanè non contemnenda, utpote quæ cum Viri celebratissimi, & integræ Scholæ subtilis Antesignani fama publica non parùm connecteretur. Demum ait Cuperus T. IV. Julii in vita B. Ceslai p. 184. n. 9. quòd *Bzovius quidem diligenter omnia ad hunc beatum Virum spectantia collegerit, sed hinc inde stylo suo nimium indulgeat, & ea narret, quæ verosimiliter fieri potuerunt potius, quàm quæ certo contigerunt; id quod Cuperus intelligi vult de incertis quibusdam circumstantiis, oratoriâ facundiâ exornatis.* Nihilominus licèt Eruditorum Criticorum judicia Bzovio usquequaque non faveant, negari tamen minimè potest, quòd ejusdem Annales insignibus Veterum monumentis & documentis, ex tabulariis Romanis & instructissima Bibliotheca Vaticana depromptis, abundant, quibus Historia Ecclesiastica plurimum possit illustrari.

C.

CÆSARIUS, Heisterbacensis in Coloniensi Archi-Diœcesi Mo-CÆSARIUS
nachus Cisterciensis & Sæc. XIII Scriptor, præter complura alia scripsit etiam libros sive Dialogos XII *de miraculis & visionibus sui temporis.* Opus hoc jam aliquoties recusum, tandem & à Tilmanno Bredenbachio V. C. aliisque recognitum & emendatum prodiit Colonia Agrippinæ anno 1599: in cujus postremæ Editionis Præfatione Cæsarius ab heterodoxorum, ejusdem Dialogos universim pro fabulis explodentium, morsibus (v. g. Joannis Jacobi Frisii, hominis Zwingliani, in additione ad Simleri Bibliothecam) solidè vindicatur, simulque, quinam è priscis PP. in eodem scribendi genere laborârint, ita piè doctèque differitur, ut eadem fideliâ uberius hujus operis usus liquidissimò constet. Consentiant quidem peritiores Critici, Cæsarium nimis credulum fuisse, utpote qui in suis XII Dialogis non satis accurato Criterio veras historias à falsis secreverit, & interdum nugæ & fabulas, quas undique corrasit, sine ullo prorsus delectu inseruerit. Ita *Gravesonius* P. II. T. V. Colloq. V. p. m. 157 col. I. Attamen Cæsarii sinceritatem testatur ipsum ejus proloquium, cum dicit: *Testis est mihi Dominus, nec unum quidem Capitulum in hoc Dialogo me fluxisse. Quòd si aliqua fortè aliter sunt gesta, quàm à me scripta:*

magis eis videtur imputandum esse, à quibus mihi sunt relata. Dein lib. III. c. 33. p. m. 181 suæ de Converso quopiam narrationi mox subjungit Cæsius: Sunt adhuc alia multa, & magna Conversi hujus Opera, quæ ad meam notitiam non pervenerunt, ex quibus tamen quædam audiui, quæ scribere nolui, eoquòd relata minùs bene retinuerim. Satiùs duxi etiam vera subticere, quàm falsa scribere. Demum Editoris, sive Bredenbachii Præfatio ait: etiam Cæsario tacente, quid de ipso sentiendum sit, res ipsa loquitur, dum non tantùm quid gestum, sed etiam à quo, loco quoque, tempore, & à quibus demum illud acceperit, tam accuratè recenset: idque oratione simplici absque omni verborum fuco, nullis non solùm hyperbolicis, sed nec amplificationibus, nuda scilicet apertaque dictione, veritatis amica, utens. Nulla itaque insinceritatis aut fallaciæ nota in Cæsarium cadere potest, et si narrationes ipsæ à veritatis linea subinde recedant; sed neque universim Cæsarii scripta falsitatis suspicione laborant, cum multa verissimè scripserit, præcipuè in iis, quibus loco, & tempore vicinus fuit aut omnino conjunctus. Unde rectè Cuperus noster T. I. Aug. p. 406. n. 256 in vita S. Dominici: Non ignoramus, Cæsarium illum facilem fuisse ad quaslibet relationes & populares rumores scripto consignandas: at hæc nimia ipsius credulitas non spectat ad rem, quam hoc loco examinandam suscipimus. Atque hoc dicto singulare prodigium velut indubitatum ex Cæsario recenset Cuperus, quia Cæsarii temporibus factum. Neque aliter de illo sensit Stilingus T. I. Sept. in vita B. Margarete Lovaniensis V. & M. p. 590. n. 44. ubi sic inquit: Quod spectat ad fidem hisce Actis (à synchrono Cæsario l. 6. Dialog. c. 34 conscriptis) adhibendam, non eadem forsitan omnium erit sententia, nisi diligens fiat distinctio inter varia ab eodem Auctore narrata. Quippe fuit Cæsarius Vir pius, & doctus quidem, sed pro tempore, quo vivebat, simplex & credulus: atque ex eo fit, ut Dialogi ipsius non careant narratiunculis quibusdam, quæ pro fabulis leguntur hoc tempore. Verùm non rectè judicabimus, si idem planè de omnibus feramus judicium, quia multa narravit, quæ à verisimilitudine non sunt aliena, quæque exactè nòsse potuit, quòd iis & loco & tempore esset vicinus. Itaque cum suspicio mendacii non cadat in Cæsarium, Virum utique piùm & sincerum: cumque in rebus tam vicinis, quàm eidem erant pertinentia ad Margaretam, nullum ferè sit errandi periculum, fidem in hisce negare non possumus Cæsario, ejusque auctoritas omnibus aliis, qui seriùs scripserunt, hic videtur præferenda. Qua de causa elogium Beatæ nostræ, quod ipse concinnavit, primo loco edam, uti posteriorum Scriptorum narrationibus præferendam. Ita Stilingus.

CALVINUS Joannes, Calvinicolarum Protoplastes, quantus Historiæ & historicorum corruptor & adulterator extiterit, jam solæ Religionis Christianæ institutiones, ab eodem procusæ, ad horrorem usque loquuntur: de quibus Posssevinus noster in *Bibliotheca selecta de ratione Studiorum* Tomo II. L. XVI de historicis c.7. p. m. 404 meritò dixit: qui hæc confert cum veris historicorum fontibus, vix se continebit (licet Calvinianus sit) quæ institutionem illam & quidquid pestis illa contagii ubique sparsit, in ignem conjiciat. Imposturas detexit Joannes Duræus Scotus, Societatis nostræ Theologus, in libro, quem adversus Wittakerum heterodoxum Anglum conscripsit, & legere quàm maximè expedit. Inter alia mendaciorum & calumniarum paradigmata illud non ultimum est, quò de Joanne XXII Rom. Pontifice l. IV. Instit. Cap. VII Sect. 28. mentiri ausus est Calvinus, quòd Pontifex ille docuerit, *hominum Animas esse mortales, easque unà cum corporibus usque ad Resurrectionem interire, & Cardinalium neminem tantæ insanie se opposuisse.* Vid. Bellarm. l. IV de Rom. Pont. c. XIV. Graveson. P. II. Tomo V. Colloq. III. p. m 98.

DU CANGIUS, sive CAROLUS DU FRESNE, à prædio suo gentilitio Cange Cangius dictus, Parisinus primò Causidicus, postmodum Ambianensis Thesaurarius regius, lucubravit varia, inter quæ *Chronicon Paschale cum notis: Constantinopolis Christiana: Commentarius Gallicus de capite S. Joannis Bapt. apud Ambianenses servato.* Eminent autem *Glossarium mediæ & infimæ latinitatis: item mediæ & infimæ Græcitatatis.* Obiit anno 1688. 23 Octobr. ætatis 79. Duriùs quidem de illo Cangii Glossario pronuntiavit Eckhartus T. II Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 492, ita rotundè asserens: *quid sit Bastonicum, Cangius, ut plerumque solet, ignorat.* Ast quisquis totius Glossarii molem amplissimam attentius evolverit, incomparabilem Viri industriam & eruditionem non poterit non admirari, etsi forsitan non ubique, & ad singulorum onomatopœiæ paraphrasin Criticorum votis ex asse satisfacere videatur. Certè Papebrochius noster longè honoratius de Cangio judicium tulit T. I. Junii p. 179. n. 12. dum Cangium cum magno reipublicæ literariæ damno Parisiis defunctum scripsit.

CANTACUZENUS Joannes, Sæc XIV Historicus Græcus & Imperator, sub *Christoduli* nomine concinnè simul atque prolixè conscripsit Historiam rerum ab Andronicis Imp. & à se ipso gestarum ab anno 1320 ad 1357, in IV libros partitam: quæ latinè postmodum ex Jacobi Pontani nostri versione, unà cum hujus atque Gretseri notis Ingolstadtii anno 1603: Parisiis verò anno 1645, & Venetiis anno 1729

in Hist. Byzant. T. XV græcè simul atque latinè cum iisdem utriusque Interpretis Scholiis prodit. Possevinus quidem in Biblioth. selecta T. II. l. 16. c. 24. p. m. 352 à scriptiois *sinceritate* dilaudat; ast rectius Cuperus in eo observat T. I. Aug. in Hist. Chronolog. p. 176. 177, 178, quòd partibus Andronici Junioris faveat: quòd vitia suorum Patriarcharum taceat: quòd hæresi Palamitarum suffragetur: item num. 1083, quòd partium studiò in Historia sua laboret. Leo Allatius l. II. de Orient. & Occident. Eccl. Consens. c. 17 à p. 830 n. 2. usque ad p. 863 omnino asseruit, *palàm mentitum* Cantauzenum, cum Barlaamum Monachum (qui postmodum Hieracensis inter Latinos Episcopus creatus est) ad Palamæ dogma accessisse scriberet; contrarium enim tum ex ipsomet Patriarchali *Tomò*, tum ex Gregoræ testimonio probari.

CATALOGUS PONTIFICUM.

CATALOGUS PONTIFICUM, qui præ ceteris sit memoriâ dignus, alius dicitur *Bucherianus*, alius *Reginæ Sueciæ*. Priorem, qui usque ad initium Liberii Pontificis progreditur, præ manibus habuit tum Joannes Cuspinianus, qui eum Commentario suo in Aurelii Cassiodori Consules inseruit, tum Nicolaus Fabricius, Peresci Dominus & Senator Aquarum. Catalogi hujus apographum olim Bollandus communicaverat nostro Ægidio Bucherio, qui postmodum illud in Commentario suo in Canonem Paschalem Victorii edidit: indèque *Bucheriani Catalogi* nomen originem traxit. Catalogus alter ex Bibliotheca Reginæ Sueciæ desumptus usque ad Felicem IV & Justiniani Imp. tempora Pontificum gesta recenset. Utrumque Catalogum ex integro exhibet *Henschenius* T. I. April. in ipsa Operis fronte, ubi de veteribus Pontificum Catalogis fit sermo: recudit verò *Papebrochius* in Propyleo Maji sive in Conatu Chronico - Historico ad Catalogos Pontificum: item *Schelestratius* in Antiquitate Illustrata T. I à p. m. 401, ubi non modò utrumque hunc Catalogum, sed & librum Pontificalem, vulgò Anastasio tribui solitum, castigatiùs edidit ac notis suis illustravit. Tam *Henschenius*, quàm *Papebrochius* l. c. item *Boschius* T. I. Aug. p. 122 n. 45 & 46 in vita S. Stephani I, & *Pagius* in Critica sua Catalogum Bucherianum *vetustissimum* nominant, & ceteris Catalogis præferunt, utpote qui jam sub Liberio vel Damaso sit exaratus, & Consulium Romanorum annos exactè consignet. A vel Ex pluribus Auctoribus contemporaneis ille quidem censetur conscriptus; at quinam illi, certò haud liquet. Vid. *Papebroch.* in Propyl. Maji l. c. à n. 8 ad 10. *Janningus* T. V. Junii p. 408. n. 39. item Vid. T. III. April. p. 5, n. 1. & p. 409. 410, à n. 2. ad 5. T. VI. Sept. p. 542. n.

15. *Sandin.* in Vita S. Lini num. 2. Nihilominus etiam hunc Catalogum Bucherianum mendis haud esse penitus immunem, ostendit Boschius l. c. n. 49. Et neque in annotandis singulis Urbis Præfectis illum semper exactum industriumque fuisse, probat Pinus T. II. Aug. p. 617 n. 23 in Actis SS. Tiburtii & Chromatii.

Alterius autem, qui Reginae Sueciæ fuit, Catalogi compilator, Seculo VI scripsisse creditur (Vid. Boschius l. c. n. 47. item T. III. April. l. c. Henschenius & Papebrochius, ut supra) & *Bucherianum præ oculis habuit, ut alibi demonstratum est, inquit Boschius l. mox laudato; sed eum vel ipse vel librarius aliquis per oscitantiam non satis integrè exscripsit, ut Boschius ait, & jam Henschenius apud Papebrochium in Propyleo n. XI observârat; nam secundi hujus Catalogi collector non satis fideliter Consules ex Bucheriano desumpsit: imò & alia, etiam erroris aut interpolationis indicia ibidem se produnt, ut advertit Papebrochius in Propyl. p. 52. n. 2. in notis post Liberii gesta.*

Demum ambo hi, quorum meminimus, Catalogi (Boschio teste l. c. n. 48) Auctori *Libri Pontificalis* facem prætulere. Qui quidem liber, ut Boschius n. 44 ait, Anastasio Bibliothecario vulgò tribuitur (Vid. etiam Propyl. Maji l. c. n. 12. & 5) est pluribus nævis aut interpolationibus minimè caret, ut notat Boschius l. c. n. 47. 51. 52. Atque, hoc ipso ex capite, libri Pontificalis auctoritas, etsi plerumque sit magna, nullatenus tamen comparari potest cum Catalogi sive Bucheriani sive Suecici antiquitate atque prærogativa, prout unà cum Boschio l. c. n. 47. 51. 52 tum Vignoliùs in notis ad Librum Pontificalem tum Schelestratius in notis ad eundem Librum, item Clarissimus Holstenius agnovère. Vid. etiam lit. A. verbò: *Anastasius.*

CATALOGUS EPISCOPORUM SALISBURGENSIUM, qui Tomo VI Antiq. CATALO-
 Lectionum apud Henr. Canif. vitæ S. Hartwici à p. m. 1224 subjici-
 tur, valde corruptus est atque confusus; unde Hundius & Cointius SCOPORUM
 aliique magnam confusionem in nobilissimam Ecclesiæ Historiam in- SALISBUR-
 duxère, & ad Sec. VII atque VIII omnia turbârunt. Ita Ant. Pagius GENSIUM.
 T. III Crit. Baron. ad an. 697 n. 14. 15. Sed nempe de non paucis
 aliis, imò plerisque forsitan, Episcopatum Catalogis idem passim
 observant Critici, quòd videlicet nec in illis exactus indubitatusque
 Præsulum Ordo, tempus & numerus ubique servetur: sive quòd sin-
 ceriores tabulæ primis cujusque Ecclesiæ temporibus à coætaneis Scri-
 ptoribus penitus exarata non fuerint (id quod difficulter crediderim)
 sive quòd temporum, bellorum, flammarumque injuriis interièrint,
 aut ad tutiora depositæ, postmodum inquirentium notitiam subter-
 fugerint:

fugerint: sive denique, quòd solâ posterorum socordiâ subinde contigerit, ut cum primigeniâ tabulæ carie jam essent exesæ, aut certè caractere jam minùs legibili essent (nam sicuti tempus, ita & scribendi ratio ac literarum ductus suas passa sunt vices) ut, inquam, nemo graphionum autographa ipsa transcribere, & obsoleto calamo recentiorem, lectioni jam antiquatæ planiorem, verbò, autographo apographum, quod pro suo cuilibet tempore servire posset, deinceps substituere, & verbum ex verbo fideliter reddere aut sciret, aut vellet.

CAVEUS.

CAVEUS Guilielmus, Scriptor Anglus ac heterodoxus, obiit senio gravis anno 1713. 4. Aug. Opera illius sunt: *Cartophylax Ecclesiasticus: Antiquitates Apostolicæ: Antiquitates Ecclesiasticæ & Patrum Primitivorum: Tabula Scriptorum Ecclesiasticorum*: ac præcipuè *Historia literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, duos majores Tomos complexa, unâ cum *Appendicibus & Vindiciis adversus Joannem Clericum*. Laudatur quidem Caveus ut Vir probus atque sincerus à Menkenio & Iselino: sed nempe heterodoxus ab heterodoxis. Insigniter profectò vel mentitus vel deceptus est Caveus in *Historia literaria*, dum ad Sec. Ecclesiæ XV p. 53 scribere non erubuit, Joannem Huf, tam cum Imperatoris Sigismundi, quàm cum ipsius Pontificis & Concilii fide publica sive salvo conductu Constantiam venisse, ideòque datæ fidei vinculum à Pontifice atque Concilio turpiter violatum rescissumque, cum injustè non minùs quàm atrociter in Hufsum, Hufsi que discipulum, Hieronymum Pragensem, palam animadvertissent. Hanc certè putidissimam calumniam, apertissimùmque mendacium luculentis ex argumentis, atque ex ipsius Hufsi literis aliorumque Hufsitaram contemporaneorum scriptis nullo negotio posse refelli atque exsufflari, jam ante Caveum ostendère plures Scriptores Catholici, ut Odoricus Raynaldus in *Anal. Eccles. Du Bail* T. I. Concil p. 484. *Nat. Alex.* T. VIII *Hist. Eccl.* Differt. VII ad Sec. XV à p. 495 ad 503. post hos *Gravesonius* P. II. T. VI. Colloq. III. à p. m. 96 col. 2. ad p. 100. Neque minùs temerarium fuit Cavei effatum, cum in *Præfatione ad Partem II Hist. liter.* contra tot aliorum, etiam A catholicorum, torrentem, imò contra Solem est scribere ausus, quòd Antverpiensia Acta SS. non nisi *stultus ineptiarum labor*, nec non *fabularum nugarumque plaustra* debeant existimari. Ast quid mirum, quòd heterodoxus hic Anglus riserit Acta Sanctorum, qui riserat Sanctos, quibuscum partem nunquam foret habiturus? Similiter Caveus ex iis est, quibus Sacræ Inquisitionis Officium bilem vehementiùs commovet, & stomachum propè extundit; nam in *Seculi*, ut vocat, *Scholastici conspectu*, seu deci-

mi tertii suæ Historiæ literariæ, infrunito ore Officium illud appellat gravissimum & ab Orco petittum Christianæ Religionis dedecus, simul & flagellum, conscientiarum carnificinam, summaque tyrannidis, & crudelitatis officinam, quæ Siculi non invenere tyranni majus tormenti. Vid. Graves. l. c. T. V. Colloq. III. p. m. 69, ubi hanc Cavei furentis insaniam sale critico defricat atque refutat. Ejusdem Cavei tam in Chronotaxi, quàm in Actis Joannis Jejunatoris Patriarchæ CP. examinandis seu malam fidem seu ignorantiam meritò reprehendit Cuperus noster T. I. Aug. in Hist Chronol. p. 69 à n. 382 ad 386; nam imò Caveus in patentissimum trium annorum parachronismum prolabitur. 2dò Joannem Jejunatorem cum Joanne Cappadoce perperam confundit, & debitas Cappadocis laudes ad superbissimum Jejunatorem pessimè transfert. 3tò Græcum Sophronii Jerosolymitani pro Cappadoce textum, qui apud Photium Cod. 231 legitur, truncavit Caveus, dum unam Græci textus partem lectori obtulit, & alteram omisit, ex qua videlicet error ipse, & præpostera Jejunatoris cum Cappadoce confusio detegi facile potuisset. Alium Cavei errorem Chronologicum notat Cuperus l. c. in Actis Joannis Xiphilini p. 128. n. 760. Denique idem Cuperus T. IV. Aug. in Actis S. Sidonii Apollinaris p. 623 & 624 à n. 151 ad 154 dilucidè ostendit, quàm parùm accuratus in Historia sua literaria extiterit Caveus, dum imò Satyram quandam Sidonio velut Auctori temerè affingit, cum tamen ipse Sidonius id coram Casare rotundissimè neget. 2dò Dum inter deperdita Sidonii Opera duos Panegyricos ad Majoranum & Anthemium Imperatores numerat; cum tamen hi ipsi inter XXIV Carmina Sidonii, quæ ipse Caveus etiamnum extare fatetur, hodie dum reperiuntur. Plura alia prætereo, atque id unum addo, quòd non solum Cavei Historia Literaria, quæ à Christo nato usque ad Seculi XIV Scriptores se porrigit & Genevæ anno 1693 recusa prodit, sed & omnia ejus Opera 22 Dec. 1700 à Sacra Congregatione Indicis publico Decreto Romano fuerint prohibita, ut videre est in noviss. Ind. Rom. p. 172. Eandem prohibitionem incurrit Appendix ad Cavei Historiam literariam ab anno 1300 ad 1517 Auctore Henrico Warton, similiter Genevæ edita anno 1693. Vid. noviss. Indic. p. 28.

CEDRENUS Georgius, Monachus Græcus & Seculi XI rapsodiator, **CEDRENUS** Compendium historiæ texuit ab initio mundi usque ad Isaaci Comneni tempora. Editum illud est Basileæ anno 1566. Parisiis Græco-latine cum notis Xylandri, Fabroti & Goaris anno 1647. Venetiis in Historia Byzantina recens excusa Tomo VI anno 1729. Dicitur autem

tem Cedrenus à Sollerio nostro T. V. Junii in Hist. Chronolog. n. 368 ferme nil nisi exscriptor Theophanis, cujus propè verbis sit usus. Similiter ex Curopalate sive Scylitze sua maximè deprompsisse Cedrenum, observat Cuperus T. 1. Aug. in Hist. Chronolog. p. 121. n. 715. Stilingus T. 1. Sept. in Comm. præv. ad vitam S. Stephani Regis p. 472 n. 65. ita de Cedreno inquit: " Dubium non est, quin Cedrenus sua descriperit ex Scylitze, quem ferè verbo tenus imitatus est ab imperio Michaëlis Curopalatæ usque ad Isaacium Comnenum teste Oudino de Scriptoribus Eccles. Tomo II col. 1130, qui varios citat Scriptores, inter quos Leo Allatius de Georgiis & eorum Scriptis pag. 334 de Cedreno sic loquitur: *Opus è variis historiis non sententiis solum, sed verbotenus consarcinatum absolvit: quæ si ab Autoribus repeterentur, nudus ipse æquè ac cornicula illa remaneret. Nescio qua fronte, quæ exscripsit, pro suis divendidit, adeò ut vix unam alteramve periodum in tam vasto volumine Cedreni propriam ac legitimam reperias.* De eodem Cedreno ait Stilingus l. c. p. 473. n. 68: *Cedrenus, qui anilium fabularum Scriptor & veri incuriosus meritò vocatur à Lipsio apud Oudinum citatum, quique Curopalatem descripsit, nomina liberius (in rebus Hungaricis) expressit, quàm verius.* Sic & Germaniæ Regem, quem cum Curopalate Othonem debuerat compellare, Cedrenus Joannem vocitavit, qualem nunquam Germania vidit. Vid. Stiling. l. c. p. 469. n. 55. Gravius verò vapulat Cedrenus tum apud Pagium T. IV. Crit. ad annum 1057 n. 5. tum apud Gravesonium P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 109, quorum uterque *insignis plagiarii* notam Cedreno impingit. Et Gravesoniis quidem l. c. suum de Cedreno iudicium ita concludit: " Constat itaque, Georgium Cedrenum, undecimi Seculi Scriptorum Græcum, qui Annales seu Compendium historiarum ab orbe condito ad annum usque 1062 conscripsit, fuisse insignem plagiarium, & opus ab ipso editum nihil aliud esse à capite ad calcem, quàm centonem ex multis pannis fordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris, promiscuè confutum. Gratias tamen illi eo potissimum nomine rependere debemus, quòd Auctores præcipuos & raros suo ipse furto nobis conservavit. " Vereor autem vehementer, ne justo severius cum Cedreno egerint Allatius, Pagius & Gravesonius, cum *insignis plagiarii* nomine Cedrenum dehonestârunt; Plagiarii enim, & quidem *insignis* in illum, ni fallor, literionem solummodo cadit, qui non nisi furtis ditescit, & nihilominus rem alienam suo unius nomine venditare præsumit. At verò quò istud factò de Cedreno poterit affirmari, cum ipse Cedrenus in collectitii Operis sui præfatione exertè luculentèrque fateatur, se primam suæ

Histo-

Historiarum synopsis partem usque ad Imperatores Maximianum & Maximinum deductam, ex Georgio Syncello transcripsisse: secundam verò partem usque ad Nicephorum se debere Theophani tertiam usque ad Isaacium Comnenum se petiisse ex Joanne Protovestiario, cognomine Tharacesio, qui juxta Allatium in Diatriba de Georgiis, Vossium l. 2. de historicis Græcis c. 16. Lambecium l. 2. Biblioth. Cæsar. c. 7. Pagium in Critica Baroniana, Natalem Alex. T. VI. Hist. Eccl. Cap. IV. Art. IV. p. 503. n. 3. & 4. Gravesonium loc. cit. alius non est, quàm Joannes Scylitza seu Curopalates; denique post Joannis Protovestiarii mentionem subjungit Cedrenus: *Nos autem evolutis horum libris, indeque iis, quæ attinebat, collectis: adjectis etiam, quæ, cum non essent scripta, ab antiquis hominibus tradita didiceramus: non pauca etiam ex parva Genesi, Ecclesiasticis historiis, aliisque libris complexi, cursim omnium unum composuimus volumen.* Quare, si proprio Cedreni testimonio stare velimus, ex ipso met assertione & confessione nullatenus plagarii, sed compilatoris, compositoris & collectoris nomine multò rectiùs erit compellandus, utpote qui non nisi aliorum libros & scripta, separatim priùs ab iis edita, nunc verò à se collecta in unum idemque volumen se comportasse & compaginasse fatetur. Quoniam verò etiam alia illis aliunde adjecit, inde contigit, ut fabulas, aut recens sibi obtrusas, aut jam in antiquioribus libris inventas, ipse bonâ forsitan fide, majorèque credulitate quàm delectu judiciòque admitteret, atque ita pannos laceros sordidòsve, ut Gravesonius ait, purpureis intermiseret. Ceterum prætereunda non est impostura, quâ se suamque fidem fœdavit Guilielmus Xylander, sive Holzmann, cum Cedrenum à Græco in latinum idioma transferret. Nam ut Gretserus in notis ad Tomum II de Cruce jam animadvertit, non uno in loco Cedrenum interpres heterodoxus sua versione corripit: locosque ab eodem corruptos etiam Possévinus pag. 23. Appendicis II ad Tomum I Apparatus Sacri verbò: *Cedrenus*: ex eodem Gretsero allegavit. Plura de Cedreno vide apud Possévinum T. I. Apparatus, verbo: *Cedrenus*: & in dicta Appendice ad hunc Tomum: item apud Labbeum T. I. Script. p. 345 & 783. *Nat. Alex.* l. suprâ cit.

du CHESNE Andreas, sive alio nomine *Quercetanus*, Scriptor Galli- du CHES-
cus & Historiographus Regius, maximo cum labore Historiam Franci- NE,
cam illustravit, extinctus a. 1640 20. Martii, cum plurium adhuc O-
perum editionem seu veriùs collectionem meditaretur. Inter ejus
collectiones sunt 10. Scriptores Rerum Normanicarum: 2dò. Histo-
ria Pontificum à B. Petro usque ad Innoc. X. 3iò. Omnia Opera B.
Alcui-

Alcuini seu Albini Flacci. 4d. Bibliotheca Auctorum, qui Historiam & Topographiam Franciæ conscripserunt. 5d. Alia, quæ Iselinus in Lexico Basil. verbô: *Chefne*, & Menkenius in Lexico Eruditorum verbô: *Quercetanus*: Moreryus in Diction. Gall. T. II. p. 147. 148. commemorant. Palmam verò præ ceteris ferunt Tomi quinque Scriptorum Francicorum: quorum tres postremos, primùm post Andreæ obitum, ejusdem filius Franciscus du Chesnius ad posthumam lucem promovit. Nomina verò, sive Syllabum Scriptorum, quos quisque Tomus singillatim ex his quinque complectitur, Buderus enumerat in Biblioth. Script. Germanicorum, quam Struvius in fronte Corporis Hist. Germ. exhibet §. 59. à p. 105 ad 118. Summam profectò, si quis alius, laudem æternamque posteritatis memoriam sibi vindicavit, sempérque vindicabit Du - Chesnius, quòd incomparabili prorsus industria (qualem nemo hæcenus impenderat) tam vasta Scriptorum, eousque ignotorum ac delitescentium volumina, tandem in apicum felicissimè produxerit: unde sepulta hæcenus antiquitatum notitia, ut per innumeras prope schedas chartasque dispersissima, copiosius veraciùsque possit eruderi & elucidari. At tamen non immeritò Du - Chesnium reprehendit Henschenius noster T. VII Maji in Exegesi prælimin. de Episcopatu Tungrensi & Trajectensi C. X. n. 69, quòd ex apographis nunquam antehac visis nec editis (quæ tamen ex solo Bollandistarum beneficio atque humanitate ad eundem Du - Chesnium in Gallias benevolè fuerant transmissa) ipse dein gloriam sit aucupatus, & iisdem his benefactoribus suis, quibus grates potiùs oportuerat agi, quodammodo insultaverit ob recentem suam Chronici Prosperi editionem: postquam videlicet Chronici hujus antiquissimum genuinùmque exemplar, utpote jam A. 632. exaratum atque à recentioribus editionibus v. g. Pithœana diversissimum, à Bollandianis autem Du - Chesnio facillima liberalitate communicatum, hæcenus in Bollandianorum Museo (ut Du - Chesnius loquitur) velut in omnigenarum *antiquitatum sepulchro* inglorium atque otiosum delituisse: quasi verò nesciisset Du - Chesnius, quòd Bollandistæ tum temporis in Actis SS. non modò colligendis, sed & criticè illustrandis toti quanti insudaverint, atque idcirco tantum illis otii, quantum Duchesnio, tunc minimè fuerit, ut Chronicorum editores jam agerent, alio certè, ut Henschenius testatur, istud tempore facturi, ubi horæ magis vacassent, & grande, quod jam occiperant, Opus aliquantò altius è primis suis incunabulis emerisset. Quoniam verò is ipse Du - Chesnius eadem tempestate illos hujuscemodi intempestivo labore levare potuit & voluit, inde factum, ut Hagiographi dictum Chronici Prosperi apographum Du - Chesnio promptissimè

simè communicarent, quandoquidem publicæ potiùs utilitatis & editionis accelerandæ, quàm privati sui cimelii, ferius aliquantò à semet ipsis producendi, rationem illi sapientissimè habuère. Sed nempe ita persæpe contingit, ut quibus maximè benefeceris, illos non modò non gratos, sed & insultantes experiaris.

CHRONICON ADEMARI Cabannensis. Vide ADEMARUS.

CHRONIC.
ADEMARI.

CHRONICON Adonis Vienn. Vid. ADO.

ADONIS.

CHRONICON ALEXANDRINUM, seu Breviarium temporum, ab orbe condito usque ad Imperatoris Heraclii annum regiminis vigesimum unà cum Consulum notis continuatum, Raderus noster ex Bibliothecæ Augustanæ MSO. desumpsit, & ab ipsa Operis præfatiuncula, quod Petri Alexandri nomen præferebat, *Alexandrinum* nuncupans, illud Monachii a. 1615 græco-latinè cum Animadversionibus quibusdam, lectu dignis, edidit. Antehac verò sub *Chronici Siculi* seu *Fastorum Siculorum* nomine illud allegaverat Panvinus, eoquòd in perantiqua Bibliotheca *Sicula*, & vetustissimis quidem literis exaratum Hieronymus Surita illud primus detexerit: uade Romam aliàsque in terras hic prætensus antiquitatis thesaurus advectus, magno in pretio apud eruditos, ut Panvinium, Sigonium, Casaubonum &c. cœpit haberi. Chronici nomen postea mutavit Du-Cangius, cum a. 1680 Parisiensibus typis illud recuderet, & *Chronicon Paschale* maluit appellare, haud dubiè ex eo capite, quòd (ut jam antè Raderus in Animadvers. suis pag. 9. advertit) Chronici hujus Auctor de Agno typico ex Paschalibus & Matheos rationibus frequenter disputet. Atque hæc Cangiæ Editio repetita est typis Venetis, & Tomum XIX Historiæ Byzantinæ conficit. Papebrochius rursus aliam nomenclationem substituit, illudque *Constantinopolitanum* rectiùs quàm *Alexandrinum* esse vocitandum multiplex ex argumento statuit T. III. Mart. in Ia. Exegeßi Prælimin. de Theophanis Chronographia p. VII. n. 13.; hujus enim Exegeßeos auctorem Papebrochium esse, Sollerius affirmat T. V. Jun. in Hist. Chronol. Patriarch. Alex. p. 69. n. 367 in fine. Quare ut paucis Sollerius l. c. p. 1. n. 2. admonet, illud ipsum Chronicon, quod Raderus dicitur *Alexandrinum*, Papebrochio est *Cplitanum*, *Paschale Cangiæ* (imò & Scaligero *Casaubonianum*) atque una eadèmq; res sub diversis nominibus cubat. Auctor Chronici quis sit, hodie dum latet. Nonnemo Georgium Pisidem Cplitanæ Ecclesiæ Carthopylacem incogniti foëtus parentem suspicabatur: quem tamen refutavit Raderus

rus l. c. p. 7. 8. Idem verò Raderus ipsum Petrum Alexandrinum, utpote cujus nomen Chronico præmittitur, quique a. 640 Alexandrinæ Ecclesiæ præfuit, Chronici hujus compilatorem fortassis extitisse divinat, utut non unum Petrum, sed plures sensim auctores in eo Chronico laborasse verosimilius putet. Oudinus in Supplem. de Scriptoribus Eccl. illud tribuit Georgio Patriarchæ Alex. S. Joannis Elemosynarii Successori. De Opere porro ipso, sive Operis auctoritate non eadem est Criticorum assertio atque consensus. Laudarunt illud antehac Panvinius atque Sigonius; Scaliger, qui hoc ipsum Chronicon ex Casauboni libraria supellectile acceptum sub *Compendii temporum* nomine in suum Antiquitatum Thesaurum a. 1606 jam inseruerat, *opus utilissimum*, ob Consulum videlicet notas, & *hominis quidem idiota centonem, sed ex bonis aliquando pannis consutum, præsertim ex Eusebii & Africani analectis instructum* indigitavit. Raderus Chronicon prorsus *justum & Catholicum uno tantum alterove errore excepto*, pronuntiavit. Gravesonius P. I. Tomo III Colloq. V. p. m. 76 col. 2. postquam plura de hoc Chronico præmiserat, ait, quod Chronicon istud non modò *ob continuam Consulum seriem, sed & ob complura vetustatis monumenta* in eo contenta *apud Viros eruditos magnum auctoritatis pondus obtineat*. Ast ut multa edocet dies, sic non eadem hodie est Criticorum sententia. Stilingus noster T. III. Septembr. p. 525 in vita S. Pulcheriæ n. 108 & III. affirmat, quod Chronicon istud *fabulis sit inquinatum & frequenter mendosum*. T. IV. Sept. in vita S. Chrysoptomi paucis multa complectitur idem Stilingus, dum ait: *Auctoritas illius Chronici ob multas, quibus redundat, fabulas nullius est momenti*. Alia hujus Chronici aberratio circa genealogiam Sephoræ adducitur T. II. Sept. p. 24. n. 78. Tomo autem III. Sept. p. 509. n. 31. ex hoc Chronico referatur *Historia mirabilis magis quam certa*. Attamen licet tanta non sit hujus Chronici Auctoritas, quanta quibusdam, atque etiam Pagio (aliàs Critico, multoties tamen Chronicon hoc alleganti atque sequenti, utut interdum etiam reprobanti v. g. ad a. 565. n. 3. a. 562. n. 5.) est hætenus visa, illo tamen in rem pariter suam subinde uti non dubitavit Sollerius noster T. V. Junii in Hist. Chronolg. Patr. Alex. (v. g. p. 4. n. 19.) tum videlicet, cum nihil aliud in contrarium obstat; nam & paleis subinde triticum inest.

Denique quid de cujusdam DOROTHEI scriptis, quæ Du - Cangiana, non item Raderiana hujus Chronici Alexandrini editioni inserta leguntur, sit sentiendum, pluribus examinat Cuperus noster T. I. Aug. in Hist. Chronolog. Patr. CP. à pag. 4. ad pag. 10. ubi *ignoti hujus fabulatoris, & impostoris sive Pseudo - Dorothei aut Dorothei - Procopii nugamenta*

menta exponit atque aliorum etiam Scriptorum criticorumque auctoritate refellit.

CHRONICON Alberti Argentin. Vid. ALBERTUS.

CHRONICON Alberti Stadenfis. Vid. ALBERTUS.

CHRONICON Andreae five Agnelli. Vid. AGNELLUS.

CHRONICON Andreae Ratisbonensis. Vid. ANDREAS.

CHRONICON Joannis de Beka. Vid. BEKA five BECANUS :

CHRONIC.
ALB. ARG.
&c. &c.

CHRONICON BENEVENTANUM non ab Anno 1113, ut Baronius exi-
stimavit, sed ab Anno 1102 usque ad An. 1140 adornavit Falco Be-
neventanus, Sacri ibidem Palatii notarius & scriba, tandemque in e-
adem sua Patria Judex, ut contra Baronium, qui ex homine laico
Clericum fecerat Falconem, ex Camillo Peregrinio probat Pagius.
Vid. PAG. T. IV. Crit. ad An. 1113. n. 1. & 2. & ad An. 1140. n. 13.
Baronius T. XII. ad An. 1113. n. 1. ad A. 1137. n. 1. 7. 12. Scrip-
toris hujus Synchroni fidem exactamque industriam summopere lau-
darunt, sibi que in Annalibus imitandam fumpsere Baronius & Pa-
gius loc. cit. Dolendum, quod tam initio quam in fine mutilum ad
nos pervenerit Chronicon istud, ut Pagius notat; unde profectum
haud dubie fuit, quod Chronicon istud primum ab Anno 1113 Fal-
conem auspicatum fuisse Baronius judicavit. Scriptor hic Annum a
prima Martii die solet exordiri, ut ex Camillo Peregrinio Pagius mo-
net.

CHRONICON BERTOLDI, Presbyteri Constantiensis, qui Hermanni
Contracti Chronicon continuavit ab Anno 1054 ad an. 1066. addi-
ditque historiam rerum suo tempore quot annis gestarum usque ad a.
1100. Extat illud id. apud Urstisium T. I. Script. Germ. p. 341. 2do.
Apud Gretserum T. 7. novae Edit. 3id. Pars hujus Chronici ab an.
1056 ad an. 1085. in Actis SS. T. VI. Maij. in vita S. Greg. VII. a p.
143 ad p. 148. Fuisse Bertoldum fidelissimum Historicum omnes boni
consentiunt, inquit Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 202 & Nat. Alex.
T. VI. Hist. Ecc. ad Saec. XI. Cap. V. Art. V. p. 505. Neque enim
moramur heterodoxos, quibus nihil aridet, nisi quod vibrato fulmi-
ne in Capitolium denotat, ut Labbeus ait. Varia alia hujus Bertol-
di

CHRONIC.
BERTOLDI

di (qui & Bernaldus, & Bernoldus dicitur) pro Gregorio VII opuscula Ingolstadii edidit Sebastianus Tegnagelius, Bibliothecarius Casareus, & Jacobus Gretserus, fortissimus ille, ut à Labbeo vocatur, *Catholica Veritatis adversus Novatores à fide majorum suorum Apostatas Athleta*. Eundem Bertoldum *Ordinis Romani* Auctorem faciunt Honorius Augustodunensis c. 14. libelli ultimi de luminaribus Ecclesiæ seu Scriptoribus Ecclesiasticis, Trithemius de Script. Eccl. Ast, ut rectè advertit Alexander I. c. multò antiquior est hic *Ordo Romanus*, & vel ad Gelasii, vel certè ad Gregorii M. tempora revocandus. Ceterùm licet Bertoldi testimonium de temporum suorum, præcipuè Henrici IV & Gregorii VII gestis, ut fidelissimum & maximi ponderis argumentum Scriptores frequenter adhibeant, ut Nat. Alex. T. VI. Hist. Eccl. ad Sec. XI, Pagius T. IV. Crit. Hagiographi item Antverpienses: notat tamen idem Pagius T. IV. Crit. ad an. 1055. n. 5. an. 1058. n. 6. an. 1064. n. 1. & 3. an. 1083. n. 2 & 4. an. 1084. n. 2. an. 1088. n. 10. an. 1089 n. 1. an. 1090. n. 6. &c. quòd Bertoldus non modò circa Chronologiam, sed & circa res in Italia, Gallia & Oriente gestas, utpote exterus frequentius in Chronico suo aberret; unde alii pariter nationis cujusque Scriptores domestici in Chronotaxeos & narrationis legitimæ subsidium debebunt advocari. Notandum pariter, quòd Bertoldus in Chronico anni initium à Natali Dominico ducat, ut bene monet Pagius ad an. 1070. n. 6.

CHRONIC. CASAURIENSE. CHRONICON CASAURIENSE, sive Piscariensis Abbatia, in Aprutia ulteriore ad mare Adriaticum sita (quod Joannes Berardus ibidem Monachus Sæc. XII conscripserat) partim Duchesnius T. III Script. Franc. & Ughellus in Italia Sacra, partim Dacherius Tomo V. Spicilegii edidit. Chronici quidem hujus editio ab an. 854 non nisi ad a. 1082 progreditur; Ast Pagius T. III Crit. ad an. 774. n. 15. testatur, quòd ejus Chartarium ad an. usque 1161 reipsa pertingat. Meminere hujus Chronici Pagius ad dictum an. item ad a. 892. n. 2. ad an. 900. n. 14. Eckhartus T. II, Comment. de rebus Franc. Orient. p. 599. 600. n. 215. & 725. n. 399.

CHRONIC. CASSINENSE. CHRONICON CASSINENSE, quatuor continet libros, quorum tres primos usque ad libri III caput 34 vel 35. (Vid. *Act. SS.* T. V. Sept. p. 378. n. 24. 25.) conscripsit Leo Mariscanus exeuntis Seculi XI & ineuntis XII Scriptor, ex Cassinensi Monacho & Bibliothecario, S. R. E. Cardinalis & Episcopus, primùm Sueslanus in Regno Neapolitano, dein Ostiensis; reliqua libri III Capita unà cum libro IV dein adjecit, totam-

totamque Historiam ad sua usque tempora profecutus est ejusdem Cœnobii Alumnus Petrus Diaconus. Prodiit Marficani Chronicon Venetiis an. 1513, tum Parisiis an. 1602 : dein Neapoli cum notis Matthæi Laureti, Abbatis S. Salvatoris de Castellis an. 1616, atque iterum Parisiis an. 1668 unà cum commentario sive adnotationibus Angeli de Nuce Neapolitani, Abbatis Cassinensis & postmodum Archiepiscopi Rossanensis. Hanc ipsam denique Angeli de Nuce editionem postremus repetiit Muratorius Mediolani an. 1723 T. IV Script. Italic. Vid. *Acta SS.* l. c. n. 26. Non defuere quidem, qui adversus hoc Chronicon, etiam ut à Nuceo editum, & primigeniæ cum autographo fidei restitutum, iniquiore calamo insurgerent, ut Franciscus Dinus in Dissertatione Historico-Critica de Translatione corporis S. Bartholomæi, alius item Anonymus Mediolanensis, regius Ticini Lector, quem Tomo X. Script. Ital. Muratorius edidit. Verum tam Leonis quàm Petri auctoritatem strenuè vindicârunt Erasmus Gattula partim in Historia Cassinensi, partim in Apologia, eidem Historiæ subjuncta (Vid. T. V. Sept. p. 377. 378. 379. n. 22. 26. 28. 32. 33. &c.) Muratorius in Præfatione ad Chronicon Cassin. (Vid. T. V. Septemb. p. 378. 379. n. 26. 28. & T. V. Aug. p. 79. n. 144.) Stillingus noster T. V. Aug. in Actis S. Bartholomæi à p. 78. §. 2. n. 144. & T. I. Sept. p. 733 in vita S. Aigulphi : Urbanus Stickerus T. V. Sept. in Comment. præv. ad vitam B. Victoris III à p. 378. §. 3. Nihilominus errores quosdam Chronologicos in Chronicon Leonis, etiam ut à Nuceo primigeniæ fidei restitutum, irrepsisse observant PAGIUS T. III ad an. 827. n. V. T. IV. ad an. 983. n. I. ad an. 1053. n. V. an. 1054. n. I. Baronius ad an. 827. n. 26. Quod si autem de illa Chronici hujus editione sit fermo, quam Lauretus anno 1616 curaverat, multò sanè rigidiùs de illa sentiendum esse, ipse Angelus de Nuce nos admonet, qui de altero hoc editore seu veriùs corruptore gravissimè hisce verbis conqueritur, quæ ex Papebrochio P. II. Responf. contra P. F. Sebast. à S. Paulo ad Art. XXII §. 2. p. 423. 424. n. 17. 18. 19. hic subiicimus :

“ Matthæus (*inquit Nuceus in Præfatione ad hoc Chronicon*) Matthæus Lauretus, Abbas S. Salvatoris de Castellis, hospes olim cœnobii Cassinensis (rogatune Cassinensium, an sua sponte, obscurum) hanc ipsam Historiam Neapoli edendam curavit, sed ita, ut omnia se fidelissimè ex Archetypis expressisse testaretur, illudque jactaret, vindicatam ab sese à probris & repurgatam fuisse, ad fidem Originalis, Venetam editionem anni 1513. Est hic sanè, Lector, quod plus satis mireris : Nemo suam fidem plus vendit, quàm qui fide sublesta est & infirma. Qua fronte scilicet homo iste fuit, ut de sua

“ editionis fide tam impudenter ementiretur? Quàm sæpe ab eo,
 “ quàm multarum rerum ordo perturbatus! Annorum ac temporum
 “ quàm depravata ratio! quàm temerè infarta & inculcata multa è
 “ suo! Quid quodd Matthæi somniis, nomen prætexit & auctorita-
 “ tem Leonis & Petri (*auctorum ipsius Chronici*) eaque his tribuit,
 “ quæ ipsis dicere nunquam venit in mentem? Alicubi securim, ali-
 “ cubi spongiam, ubique scilicet temerè ac ineptissimè, adhibet.
 “ Multis narrationem periodis, multisque capitibus diminutam &
 “ decurtatam ac mancam exhibet, & in extremo integram Historiam
 “ proscribit. Verba innumera, quæ minùs intelligit, non putat ir-
 “ religiosum esse immutare, multarúmque proinde rerum & eruditio-
 “ num notitiam lectoribus invidet, subducit, ac detrahit. Quid ver-
 “ bûs opus? Vix unum sine flagitio mendòque versum deprehendas;
 “ ut non tam Leonis Historiam, quàm errorum Odysseam edidisse
 “ videatur. Et tamen quasi fidei & veritati thura quotidie adoleret,
 “ nihil magnificentius quàm illarum lucem ac vibrantes radios loqui-
 “ tur. Ita planè falsitas non deciperet, nisi sub larva fidei & verita-
 “ tis delitesceret. Hactenus de Coabbate suo Laureto Abbas Cassi-
 “ nensis Angelus: quibus, ut Papebrochius inquit, nolim addere, quæ
 “ de ejusdem Laureti fide, in allega. adis circa aliud argumentum Bullis
 “ sentiunt Benedictini Galli, contrarias eorundemmet Pontificum, quo-
 “ rum ille, Bullas habere se prætendentes.

Demum contra Baronium & Possevinum nôsse oportebit, quòd
 Leo Card. Ostiensis & Chronici hujus Auctor diversus sit ab alio Leo-
 ne Ostiensi, pariter Cardinali, qui Registrum Epistolarum Urbani II
 collegerat. Vid. PAG. T. IV. Crit. ad an. 1088. n. 3 Nat. Alex T. VI.
 Hist. Eccl. C. VI. art. 3. p. 514. Juxta Labbeum T. II Script. Eccl. obiit
 Leo Marsicanus seu Cassinensis Chronographus primùm post an. 1112.
 Plura de hoc Auctore apud cit. *Labbe. Nat. Alex. Possevinum* in Apparatu,
 verbò: *Leo Marsicanus: Bellarm. de Script. Eccl. Graves. P. I. T. IV.*
Colloq. V. p. m. 255. 256 ubi de Abbatibus Italiæ, qui doctrinâ & scri-
 ptis claruere.

CHRONIC. CHRONICON CENTULENSE, sive Monasterii S. Richarii, Ambianensis
 CENTU- dioceseos in Gallia sive Picardia, Auctorem præprimis habet Hariul-
 LENSE, fum Monachum Centulensem, Sec. XI. Scriptorem, qui ab anno cir-
 citer 625 usque ad obitum S. Gerwini Abbatis sive ad an. 1074 illud
 deduxit, & anno 1088 se opus hoc absolvisse testatur: utùt adhuc 54
 annis ipse vixerit superstes, utpote anno 1097 ad Aldenborgensem in
 Flandria Abbatiam admotus, quam usque ad an. 1143 XVI Augusti sa-
 pien-

pietissimè rexit. Chronicon illud anno primùm 1492 continuavit & lucubravit Joannes Capella: Utriusque verò, tam Hariulfi quàm Capellæ laborem, Tomo IV Spicilegii inseruit Dacherius. Meminère hujus Chronici *Nat. Alex.* T. VI. Hist. Eccl. ad Sec. XI. Cap. V. Art. IX. de Chronicis p. 510. PAGIUS T. III. Crit. ad an. 814. n. 30. ac præcipuè *Henschenius & Papebrochius* T. VII Maji ad diem XXX p. 263. n. 4. 5. 7. p. 264. n. 1. 2. p. 265. num. præcipuè 4 & 5.

CHRONICON CONRADI URSPERGENSIS, sive Conradi à Liechtenau, CHRONI-
CON CON-
RADI UR-
SPERGEN-
SIS
Abbatis Urspergensis in Sevia, qui vitam ad an. usque 1240 produxit. Editum est sub ejus nomine Chronicon à Belo primo Assyriorum Rege usque ad annum Christi 1229, seu Frid. II. Imper. nonum. Manifestum verò est, quòd Chronici hujus non unus idémque sit auctor, cujus nomen præfertur; nam si quis gesta annorum 1099. 1100. 1101. 1102. 1104. 1106 cum iis, quæ ab an. 1198. 1202. 1205. 1207 narrantur, ac præterea stylum cum stylo exactè contulerit, Auctores omnino plures & tam calamo quàm moribus, imò toto cælo diversos nullo negotio palpabit, aut certè concludet, quòd, si unus idémque fuisset, pluribus in locis à posterioris ævi maledicentissima manu Chronicon hoc pessimè fuerit depravatum & interpolatum. Indubitata auctorum istorum in eo Chronico pluralitatem & veritatem jam observaverat Bellarminus l. de Script. Eccl. omnium verò diligentissimè (etiam Labbeo teste T. I. de Script. Eccl. p. 759 inter addenda: item *Vide* eundem Labb. T. I. p. 234.) argumentum hoc excussit Gretserus noster L. II. rerum variarum toto capite X. à p. 244 ad 261: quod posthumum Gretseri Opusculum ex ejusdem adversariis, post fata repertis, collegit Georgius Stengelius noster & an. 1628 primus Ingolstadiensibus typis commisit. Pagius quoque T. IV Crit. ad an. 1100. n. 3. an. 1101. n. 3 & 6. an. 1102. n. 1. an. 1105. n. 1. verissimè ait, Urspergensem qui ineunte adhuc (imò jam adulto) Seculo XIII. vixit, de rebus multò antiquioribus sæpiùs in prima persona velut auctoris cœvi eloqui, etsi illa nec viderit ipse, neque audièrit, sed longè alii, quorum tamen ipse nomina tacet. Id quod etiam alii Auctorum Sanctorum interpolatoribus & abbreviatoribus familiare fuisse, subjungit Pagius; unde ex hac ipsa animadversione plura circa Historiam & Historicos dubia atque errores possint præverti aut enodari. Denique quòd Chronici Urspergensis confarcinator plures Auctores in unum Opus congefserit, patet v. g. ex gestis Caroli M., quæ verbotenus ex Eginhardo descripsit; item ex Anonymo Scriptore Cremonensi, quem p. 220. ipse Urspergensis disertè allegat.

dum verò, quòd minus sincera hujus Chronici editio sit, utpote per additamenta corrupti; unde Possévinus T. II. Biblioth. Selectæ de ratione Studiorum p. 314. lib. 16. cap. XI. ita monet: à quo Chronico absit appendix ab hæreticis addita, & inscripta, Paralipomena, quæ ut alibi monuimus, sunt hæresibus aspersa, ac proinde proscripta ab Ecclesia in Romano Indice. Vid. noviss. Ind. Rom. p. 17. Annotationes in Chronica Abbatis Urspergensis: & p. 84. ita inter libros prohibitos legitur: *Conradi à Liechtenau Abbatis Urspergensis Chronicon ubique impressum: Novissima verò Editio Argentoratensis anno 1609, ablatis duabus Epistolis, in quibus hæreticorum Encomia continentur, permittitur. Paralipomenon quoque aliàs prohibitum cum omnibus postillis & additionibus eidem Editioni insertis prohibetur.*

Sed neque hæc Argentoratensis Editio, etiam ablatis duabus illis Epistolis & Paralipomenis, suis adhuc vitiis atque convitiis caret. Nam p. 171 inseruntur ipsius Chronici contextui gesta Gregorii VII, velut ex contemporaneo Cardinali Brunone desumpta. Verùm jam antehac Gretserus l. 1. contra Replicatorem Goldastum c. 7. respondit, verba illa non esse Urspergensis, sed interpolatoris cujusdam hæretici, qui simul per insignem inscitiam Bennonem Pseudo-Cardinalem in Brunonem transformârit. 2dò. pag. 167 ex intercalari Scholio, quò Chronici editor & veterator circa Henrici IV gesta Lectorem fallacissimè præmonet atque præmunit, similiter ejusdem Scholiastis odium in Pontificem se apertissimè prodit, prout idem Gretserus l. c. jam animadvertit. 3id. p. 235 tam in ipsa Chronici narratione, quæ incipit: *Vix enim remansit aliquis Episcopatus &c. quàm in marginalibus notis (quæ ita habent: Questus Romanæ Curie: &: Roma vincit orbem non religion, sed malitia)* denuo tam Chronici Editor, quàm Auctor aut veriùs interpolator animum sanè protervum atque mendacissimum pandunt. 4tò. p. 142. in margine hæc nota ponitur: *Simultas inter Romanos & Pontificem Formosum: ubi hic Spiritus Sanctus?*

Ad extremum hìc addere juvat, quæ Gretserus L. II. Variarum C. 10. p. 260. de hoc Chronico notat: Chronicon hoc præfatione sua contaminavit Philippus Melanchton, & Crato Mylius Antverpiensis, discipulus Melanchtonis; qui cùm Chronicum hoc recudere cogitaret, Melanchtoniam præfationem velut hederam appendendam curavit, ut merx vendibilior fieret; cùmque Cratonem Melanchton laudâset, ille ut satisfaceret proverbio: *mutuum muli scabunt*: vicissim verbosè sui Præceptoris laudes decantat, ut & illius, qui ad Chronicum hoc Paralipomena adjecit, qui planè fanaticus holophanta fuit: nec Lutheranus, nec Calvinus, nec Anabaptista, “ sed

“ sed omnia simul ; à cuius ùt & Melanchtonis & Cratonis fordibus
 “ si quis Chronicum hoc liberaret, grande operæ pretium faceret.

CHRONICON, quod S. DATII dicitur. Floruit hic Episcopus Me-
 diolanensis sub medium Seculi VI, seu tempore Cassiodori, ùt hujus
 ad Datium Epistolâ probat, quæ inter Cassiodori Epistolas libro XII.
 vigesima septima extat. Bellarminus, Possevinus, Puteanus, Miræus,
 Ughellus, alique ab hoc Datio Historiam sui temporis fuisse conscri-
 ptam, supposuerunt magis quàm examinârunt. Ex tali autem (ùt in-
 quit Papebrochius T. VII Maji in Exegesi de Episcopis Mediolanen-
 sibus p. LXIV.) *persuasione quidam Ambrosiana, ùt videtur, Bibliothecæ Præ-*
fectus, veteri Codici, ante annos facile sexcentos (nunc propè septingen-
tos) scripto, hunc titulum præscripsit (est enim tituli manus recentior) CHRO-
NICA DATII ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI NUNCUPATA.
Rem ipsam accuratiùs discere cupiens diligentissimus Joannes Mabilio, quædam
circa Codicem eum quæsiuit, & mediante Claudio Castellano Parisiensi Canoni-
co, responsum accepit, quale inseruit Tomo I. Analectorum suorum pag. 5.
desinere Chronicon illud in anno MLXVII, ac ferè narrare ea, quæ contigere in
Ecclesia Mediolanensi tempore Alexandri II, esse autem non modò non eadem
manu descriptum, verùm neque ab eodem Auctore; nam PRIMAM PAR-
TEM, inquit, SCRIPSIT LANDULPHUS SENIOR, SECUNDAM
ARNULFUS, ET TERTIAM LANDULFUS JUNIOR, OMNES
HISTORICI MEDIOLANENSES. *Addiderim (pergit Papebrochius)*
idem Chronicon aut parùm aut nihil facere ad Historiam Episcopalem, cùm ex
eo nihil dùm ii protulerint, qui illam Mediolani tractârunt, ipsùmque Codicem
potuerunt legisse. Idem de tribus Chronici, Pseudo-Datiani, compila-
toribus illis iudicium repetit Papebrochius T. VII Maji in Paralip. ad
Conatum Chronico-Historicum p. 89. col. 2. sub finem. Dein sola
Datii ætas ; qui Seculo VI jam vixit & circa annum 552 è vivis exce-
fit, abunde jam sufficit, ut alius longè Chronici Auctor statuatur,
 utpotè in quo etiam gesta Seculi VIII usque ad Alex. II tempora five
 ad an. 1067. referuntur. Sed & Hugo Menardus (ùt advertit Lab-
 beus T. I. Script. Eccl. p. 250.) in notis ad ritum antiquum unctio-
 nis Regum Francorùm, & ex eo Theophilus noster Raynaudus in
 Erotematis jam monuere, stylum, quò liber ille pseudo-Datianus
 exaratus est, neutiquam Justiniani tempora redolere, simùlque talia
 de gestis in Sanctorum Ambrosii & Augustini alloquio ibidem narra-
 ri, quæ ipsimet Sancto Augustino atque Possidio planè adversentur.
 Plura de hoc Chronico Datiano eruditè pertractat Pagius T. II.
 Crit. ad an. 552. n. 26. 27. 28, ubi solidis ex argumentis illud Datio

abjudicat, & *soli* Landulfo Seniori, Sec. XII scriptori adjudicandum ostendit (Confer Pagium T. IV. ad an. 1045. n. 11.) utpote cujus contenta aliud non sunt quàm IV Historiarum libri, jam in Veteri MS. pergameno, cujus Puricellus meminit, Landulfo Seniori adscripti : quæ Pagii sententia multò mihi verosimilior videtur, quàm quòd tres propè synchroni scriptores, ac præcipuè Arnulfus & Landulfus Senior, prorsus contemporanei (nisi quòd Arnulfus, etiam seniore Landulfo aliquantùm senior jure possit existimari) circa rem eandem eodem tempore laborârint; diversa enim Codicis manus, cujus Mabilonius in Analectis meminit, non illico ipsorum Auctorum, sed solam amanuensium idem etiam Auctoris opus describentium & sibi invicem succedentium diversitatem arguere debet,

CHRONIC.
DITMARI.

CHRONICON DITMARI. Vid. DITMARUS.

CHRONIC.
EUSEBII.

CHRONICON EUSEBII. Hic ob singularem cum Pamphilo Martyre amicitiam *Pamphili* cognomen adeptus, & ab an. circiter 315 ad annum 340 Cæsareensis in Palæstina Episcopus plura edidit Scripta, quæ *Labbeus* T. I. Script. Eccl. p. 301. seq. & p. 779. : *Possevinus* T. I. Apparatus Sacri à p. 462. *Nat. Alex.* T. IV. Hist. Eccles. *Sixtus* Sen. in Biblioth. *Graves.* P. I. T. I. p. m. 142. aliique enumerant. Notissimum est illius Chronicon, quod, (ut rectè notat *Labbeus* l. c. p. 302) non à prima mundi fabrica, sicut varii & ex Recentioribus *Gravesonius* perperam censuere, sed ab Abrahami, credentium Patris, natalibus est auspiciatus. Quidquid enim Abrahami temporibus ab Eusebio præmittitur, vices potiùs Exordii subit, & compendiarium omnium temporum computi præambulum nomen meretur. Genuinum verò Chronici, æquabili deinceps ordine per distinctas annorum & rerum series progredientis, initium ab Abrahami ætate petendum, ipsa Chronici Eusebiani exemplaria, eorùmque multiplex editio docent. Porro Chronicon suum, Græco idiomate scriptum, Eusebius pertexuit usque ad an. Christi 329, ut *Arnaldi Pontaci* Editio habet : *Labbeus* tamen & *Gravesonius* illud in anno Christi 326 terminari asserunt. Ex Græco dein in latinum *fidelissimè* illud se transfulisse fatetur *D. Hieronymus*, simulque primus continuavit usque ad an. 381. post *Hieronymum Prosper Aquitanus* usque ad an. 449, juxta editionem *Pontaci*, juxta *Labbeum* verò atque *Du - Chesnium* usque ad an. 455 : item *Marcellinus Comes* ab an. 379. ad 535 : *Victor Tunnuensis* in Africa Episcopus, qui teste *Isidoro Hispalensi* Chronicon scripsit ab initio mundi usque ad primum *Justini Imperatoris* annum, seu Christi 565, cujus tamen

ea solummodo pars modò superest, quæ ab anno 444 usque ad an. 565 perducitur : dein *Marius* Lausannensis sive Aventicensis Episcopus ab anno 455, in quo desit Prosper, usque ad an. 582. Denique *Joannes* Biclariensis in Hispania Abbas ab an. 566 usque ad 591. Cardinalis *Aguirrius* in Notitia Conciliorum Hispaniæ pag. 95 (Vid. Pagium T. II Crit. ad an. 589. n. 7.) meminit additionis ad Biclariense Chronicon, ab Anonymo factæ, ab an. 601 ad 742.

Varia sunt tam Eusebiani, quàm ceterorum Chronicorum editiones. Et EUSEBIANI quidem una est Parisiensis de an. 1513. Altera Burdigalensis de an. 1604 per Arnaldum Pontacum. 3ia Batavo-Lugdunensis de an. 1606 in Thesauro temporum Josephi Scaligeri : præter alias plures, quas Pontacus vidit. HIERONYMI & PROSPERI appendices exhibent hæ ipsæ Eusebiani editiones: PROSPERUM verò etiam recudere *Henricus Canisius* in *Lectio. Antiq. Du - Chesnius* T. I. Script. Franc. *Labbeus* T. I. Biblioth. MS. MARCELLINUM COMITEM edidit *Scaliger* l. jam cit. multò tamen perfectiùs ac castigatiùs, Labbeo Teste, *Sirmondus* noster Parisiis an. 1619 unà cum Chronico *Idatii Lemicensis*. VICTOREM publicârunt tam *Canisius* quàm *Scaliger* loc. cit. MARIUM prima luce donavit *Petrus Franciscus Chiffletius*, dein T. I. Script. Franc. inseruit *du - Chesnius*. JOANNEM denique Biclariensem prelo dedere *Scaliger* atque *du - Chesnius* l. cit. de quo *Joanne* vide Pagium T. II. Crit. ad an. 591. n. V. & ad an. 593. n. 3.

Quidnam verò negotii in Eusebii Chronico susceperit *D. Hieronymus*, ipse se explicat. “ Sciendum est (inquit in Ep. ad Vincentium & Gallienum) me & interpretis & scriptoris ex parte officio usum, quia & Græca fidelissimè expressi, & nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana maximè historia, quam Eusebius hujus conditor libri, non tam ignorasse, utpote eruditus, quàm ut græcè scribens parùm suis necessariam perstrinxisse mihi videtur. Itaque & à *Nino* & *Abraham* usque ad *Trojæ* captivitatem pura Græca translatio est : à *Troja* usque ad vicesimum *Constantini* annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quæ de *Tranquillo* & ceteris illustribus historicis curiosissimè excerpimus. A *Constantini* autem supradictò anno usque ad consulatum *Augustorum Valentis Sextum* & *Valentiniani*, iterum totum meum est. Quo fine contentus reliquum temporis *Gratiani* & *Theodosii* latioris historiæ stylo reservavi.

Nihilominus contigit Eusebii & Hieronymi Chronicis, quod Hieronymus ipse in sua Chronici præfatione jam præsensisse videtur, cum ait:

ait: nec ignoro, multos fore, qui solita libidine detrahendi omnibus (quod vitare non potest, nisi qui omnino nil scribit) huic volumini genuinum dentem infigant. Calumniabuntur tempora, convertent ordinem, res arguent, syllabas eventilabunt: & quod accidere plerumque solet, negligentiam librariorum ad Auctores referent.

Et sanè vatem verissimum Hieronymus egit; nam primò Josephus Scaliger, Julii Cæsaris à Burden filius, cùm in suo Thesauro temporum idem Eusebii Chronicon ex antiquis, ut jactitabat, Codicibus emendatum, & animadversionibus à se illustratum recuderet, tam Auctorem Eusebium, quàm interpretem Hieronymum tot convitiis, calumniis & contumeliis flagellavit ac laceravit, ac si uterque ipsius mancipium fuisset neque plus in literis, præcipuè in Chronologia sapuisset, quàm aliquis de Leidensi trivio literator. Verùm hunc idiomatis græci ostentatorem vanissimum & Hieronymianæ versionis criminatorem insulsissimum pro merito suo non segniter dedolavit, simúlque Hieronymum vindicavit Gretserus in opere posthumo sive lib. III. Variarum cap. V & VI à p. 312 ad 338, ubi plura, ut Gretserus loquitur, *impudentiæ & inscitæ Burdonianæ* specimina exhibentur ac proteruntur. Imò ipse Hieronymus, prout advertit Gretserus l. c. p. 337. 338, jam in suo ad Hebraicas quæstiones Epistolari proëmio satis superque adversus Burdonicos hocce ruditus sese præmunisse videtur, cùm inquit: *Qui in principiis librorum debebam secuturi Operis argumenta proponere, cogor prius respondere maledictis, Terentii quippiam sustinens, qui comædiarum prologos in defensionem sui scenis dabat; urgebat enim eum Luscus Lavinius, nostro Luscio similis, & quasi publici ararii firem, Poëtam criminabatur. Hoc idem passus est ab æmulis & Mantanus Vates, ut cùm quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilator veterum diceretur; quibus ille respondit, magnarum esse virium, Herculi clavam extorquere de manu. Sed & Tullius, qui in arce eloquentiæ Romanæ stetit, Rex Oratorum & Latine lingue illustrator, repetundarum accusatur à Græcis. Non mirum ergo, si contra me parvum homunculum immundi sues grunniant, & pedibus margaritas conculcent: cùm adversus doctissimos Viros, & qui gloria invidiam superare debuerant, livor exarserit.*

Secundò: in Eusebiani Chronici Apographa per promiscuam diversissimorum ubique Amanuensium sive incuriam sive licentiam innumera prope menda & lectionum varietates sensim irrepserunt, dum tandem Arnaldus Pontacus, Vasatensis in Aquitania Episcopus, non modò ad viginti octo MS. Codicum, sed & ad octonarum quà loco quà tempore diversarum Editionum fidem incredibili profectò cum labore Chronicon illud emendatius redderet, & post innumeros errores

rores expunctos primavæ, quantum fieri poterat, fontis sinceritati restitutum, anno superioris Seculi quarto felicioribus typis elucubraret. Dixi: *quantum fieri potuit*: neque enim parachronismi, aut errata historica, Chronico huic quantumvis emendatissimo desunt, prout complures Critici v. g. Pagius & Hagiographi Antverpienses passim advertunt (Vid. Act. SS. T. V. Junii in Hist. Chronolog. Patriarch. Alexandr. p. 22. n. 113. T. III. Julii ad diem XI p. 179. n. 4.) sive quod ex Codicibus, qui hodieum supersunt, nævi omnes non potuerint detegi, sive quod Eusebius ipse (id quod verosimilius) jam in suo fonte atque autographo subinde exerrârit. Attamen licet Eusebii Chronicon hodieum suis mendis laboret, illum tamen ut Chronographum antiquissimum & eruditissimum meritò Sollerius laudat, neque ab illo facilè se dimovendum sæpiùs profitetur, nisi quando luculenta necessitas cogit. Vid. T. V. Junii l. c. p. 19. n. 102 & T. III Julii ad diem XI. l. c.

Sed neque *Hieronymi Chronicon* in Chronotaxi ubique legitimum esse, idem Sollerius notat T. V. Junii l. c. p. 41. n. 216. De *Prosperi Chronico* illud memorandum occurrit, quod Henschenius noster T. VII Maji in Exegeſi Prælim. de Episcopatu Tungrenſi p. 69 & 70 jam inculcaverat, diversissimas omnino editiones inter se esse, quarum unam Pithæus, alteram curârat Du-Chesnius; nam Pithœanum Chronicon non modò est interpolatum, sed & erroribus & mendis refer-tum esse, l. c. Henschenius probat: contra verò Du-Chesnianum, quemadmodum ex Hagiographorum nostrorum Antverpiensium Codice vetustissimo, & jam sub annum circiter 623 conscripto fuit excerptum, ita multò sincerius illud est existimandum, multisque narra-tiunculis caret, quibus Pithœanum est contaminatum. Atque in hoc ipso antiquissimo Antverpiensium Codice (quem probabilius Pontaeus nunquam adhuc viderat) primo loco extat Chronicon Eusebii, dein Hieronymi, postea Chronicon Prosperi, ac denique Marii.

Pithœanum Prosperi exemplar etiam Labbeus T. I novæ Biblioth. MS. edidit, illudque subjunxit genuino, quod primo loco dederat. Solet præterea Pithœanum, *Prosperi Tyronis Chronicon*: item *Imperato-rium* appellari, quia per annos Augustorum neglectis Consulibus pro-greditur; ast Du-Chesnianum vocatur *Consulare*, quia Epocham per Consules firmat. Quoniam verò Du-Chesnius non nisi appendicem quandam ex Prosperi Chronico, ab anno scilicet 379 usque ad 455, Hieronymi Chronico addiderat, idcirco Labbeus integrum Prosperi Chronicon ab exordio mundi usque ad annum Valentiniani Augusti octavum (cujus jam meminerat Victorius Aquitanus in Epistola ad

Hilarum Romanæ urbis Archidiaconum, quam Canonis Paschalis Festi præfixit) in ejusdem MS. Bibliothecæ Tomo I recensuit, ut plurimum Eruditorum, dudum id expetentium, desideria tandem expleret. Plura de Prosperi & Pseudo-Prosperi Chronico vide apud *Labbeum* T. II. Script. Eccl. p. 247. 248. 259. 260. *Pagium* T. II. Crit. ad an. 445. n. 22. 23. *Nat. Alex.* T. V. Hist. Eccl. *Possevinum* in Apparatu, aliosque.

De *Marcellini* Chronico observant Critici, quod in notationibus temporum non usquequaque sit accuratum. Vid. *Act. SS.* T. III. Sept. p. 505. n. 9. 10. 13. p. 517. n. 69. *Pagius* T. II. Crit. ad an. 446. n. 12. an. 450. n. 3. an. 444. n. 13. an. 498. n. 6.

De *Mario* ait *Pagius* T. II ad an. 581. n. 17: *Is cum stante Burgundia Regno vixerit, in persequendis Burgundionum rebus accuratior fuit, sed in illis, quæ etate sua gesta sunt, non raro in Chronologiam peccat, ut identidem observavi, v. g. ad annum 575. n. 3. an. 556. n. 19. & 14. an. 554. n. 8. &c.*

De *Victore Tununensi* idem *Pagius* T. II ad an. 484 n. 14. *miram in ejus Chronico per hos annos perturbationem temporum notat.*

Ceterum, ut monet *Possevinus* in Appar. p. 465 verbò: *Eusebius: cavendum est à Chronicis, quæ addita sunt Chronico tum Eusebii tum Hieronymi & aliorum Catholicorum. Nam cum hoc Seculo (XVII) edita fuerint antiora, justissimis de causis additiones ad Chronicon Eusebii ab anno 1513 usque ad 1556 à Theologis Hispanis in eorum Indice expurgatorio fuere indicata, ubi inspersa sunt erroribus ab hæreticis.*

CHRONI-
CON FAR-
FENSE.

CHRONICON FARFENSE, seu Farfensis Monasterii (quod & *Acutianum* dicitur) in Ducatu Spoletano siti. Partem illius sive Excerpta quæpiam dedit *Du-Chesnius* T. III. Script. Franc. p. 650. Sed jam *Mabillonius*, qui in illo Cœnobio diverterat, T. I. Musei Italici P. II. p. 62 animadvertit, dignum illud esse, quod integrum ederetur, ob varia Acta publica, quæ in eo continentur. *Mabillonii* votis demum satisfecit *Maratorius*, qui T. II Script. Ital. P. II. p. 287 integrum illud produxit. Meminere hujus Chronici *Pagius* T. III Crit. ad an. 839. n. 3. an. 892. num. 3. *Eckhartus* T. II Comment. de Rebus Franc. Orient. p. 181. n. 192 ad an. 823 & p. 236. n. 266 ad an. 829. *Papebrochius* T. VII Maji in Paralip. p. 84 n. 8. in Gestis Gregorii V. ad an. circiter 998: ubi tamen addit, quod Chronographus Farfensis Joannem Episcopum Placentinum cum *Arnulpho* Archiepiscopo Mediolanensi malè confuderit.

CHRONICON FLODOARDI Remensis. Vid. *Flodoardus*.

CHRONIC.
FLODOAR,

CHRONIC.
FONTA-
NELLEN-
SE.

CHRONICON FONTANELLENSE, seu S. Wandregisili, Diœceseos Rotomagensis, conscripsit Monachus Fontanellensis, qui teste Pagio T. III Crit. ad an. 841 n. 9. circa medium noni Seculi vixit. Partem hujus Chronici, sive ab an. 841 ad 856 Du-Chefnius T. II. Script. Franc: Totum verò Chronicon Dacherius T. III. Spicilegii dedit. Chronicon hoc allegant Pagius T. III Crit. ad an. 682. n. 8. an. 698. n. 12. an. 719 n. 11. an. 726. n. 18. an. 841. n. 9. an. 855. n. 19. & ad an. 885. n. 6. ubi de Chronici hujus Præfatione fit mentio: quam præfationem unà cum Appendice gestorum usque ad an. 1053 alius Continuator & Seculi XI Scriptor addidisse conjicitur. *Eckhartus* T. II p. 400 & 402. ad an. 849. p. 415 ad an. 851. *Nat. Alex.* T. VI. Hist. Eccl. ad Sec. XI. C. V. Art. IX de Chronicis p. 510. Plura menda chronica in hoc Opere sparsa jam detexit Henschenius noster T. II. Febr. in vita S. Ansberti Archiep. Rotomag. p. 346 n. 22 in Comment. prævio.

CHRONICON FREDEGARII Scholastici, qui Gregorii Turonensis Chronicon, ut ipse in præfatione sua testatur, continuavit usque ad an. 642, sive usque ad Willibadi interitum & Floccoati obitum. Unde Chronicon illius reipsa in Capite 90 desinit, ut inter eruditos jam convenit. Vide *Henschenium* T. I. Febr. p. 214 à n. 43 ad 46. *Pagium* T. II. Crit. ad an. 642. n. 8. 9. T. III Crit. ad an. 736. n. 2. *Eckhartum* I. supra cit. T. I. p. 217. n. 12. Fredegarii fidem longè gravissimam commendat imò temporis ætas, quò scripsit: utpote qui juxta Pagium T. 2. ad an. 642 n. 8. Sæculo 7. sub Clotario III scripsisse, imò Cap. 90 ipse suam ætatem per verba: *Creditur à plurimis* &c. Rem scilicet adhuc in memoria hominum recentem significantia manifestasse videtur. Adò: diligentia & accuratio non modica, quam huic Chronico se impendisse Fredegarius in præfatione fatetur. Vid. *Henschen.* l. c. Fabulis tamen haud penitus vacare hoc Chronicon existimat Pagius T. II ad an. 593. n. 3. ubi de cap. IX Fredegarii seu de conversione Regis Persarum fit mentio.

CHRONIC.
FREDEGA-
RII.

Fredegarium continuârunt tres Anonymi, omnes similiter cœvi: primus à Cap. 91 usque ad peractam Pippini Regis electionem: alter usque ad electionem Regum Carolomanni & Caroli: tertius usque ad an. 791. Et primus quidem appendicem suam edidit jubente Childebrando, Regis Pippini Patruo: & Caroli Martelli Germano: alter jubente Comite Nibelungo, Childebrandi filio; nam in vetustissimo Codice Reginæ Sueciæ ad finem 1mæ appendicis seu à primo

Anonymo scriptæ, post memoratam Pippini Regis electionem capitalibus literis hæc exarata leguntur: *Usque nunc Inluster Vir Childebrandus Comes, avunculus prædicti Regis Pippini hanc historiam vel gesta Francorum diligentissime scribi procuravit. Abhinc ab inlustre Viro Nibelongo, filio ipsius Childebrandi, itémque Comite succedat auctoritas. Vid. Pag. T. II ad an. 642 n. 9. & T. III. ad an. 736. n. 5. Eckhart l. c. T. I. p. 321. n. 6. & p. 217. n. 12. Quercetanus quidem sive Du-Chesnius T. I. Script. Franc. & Oudinus T. I. Script. Eccl. p. 1799 existimant, utramque hanc appendicem à Fredegario fuisse adjectam, indéque infert Oudinus, Fredegarium Chronicon suum anno primum 769 vel 770 scripsisse. Ast contrarios sibi habent ceteros Scriptores Criticos, ut Henschenium, Pagium, Eckhartum, *locis cit.* Et fanè ingens illa narrationis & styli diversitas, quæ in utraque appendice invenitur, diversos à Fredegario Auctores loquitur. Pagius T. III. Crit. ad an. 736. n. V. ita se explicat: " Utraque Appendix ad Continuationem Fredegarii ab Auctore cœvo edita, sed incertum, an utraque unius " ejusdémque Scriptoris fœtus sit. Illud certum, in neutra Appen- " dice res gestas quasque suis annis accuratè adscribi, sed pleraque " nullo Ordine servato confusa ac indigesta proponi. Sed tam Fre- " degarii quàm ejus Continuatorum vitia temporibus, quibus vixê- " re, imputari debent, ut rectè Valesius l. 20. Rerum Franc. tradit. " Ope Annalistarum, qui post illos scripsêre, utriusque Appendicis " errores corrigi, brevitásque potest suppleri." Notandum porro, quòd tam Fredegarius, quàm ejus Continuatorum annum à Kalendis Martiis auspiciuntur. *Vid. PAG. l. c. n. 2 & 3. singulos verò seu Fredegarium cum duobus continuatoribus suis edidêre Freherus in Corp. Hist. Franc. Sinceræ & Veteris: du-Chesnius T. I. Script. Franc. Ruinartius in editione Operum Greg. Turon. an. 1699. Basnagius T. II. Antiq. Lect. Canisian. De tertia insuper Appendice (quæ à translatione reliquiarum S. Gorgonii in monasterium Gorziense sive ab an. 765 incipit, & in an. 791 sive in Hunnici belli initiis & prævia tridua- na supplicatione absolvitur) meminit, simúlque conjectat Eckhartus T. I. p. 743. n. 44, eam ab Angelramno, Episcopo Metensi & Caroli M. Archi-Capellano, fuisse confectam, qui in hac ipsa Hunnica expeditione obiit, proindéque Scriptionem suam ultra belli hujus initia prosequi non potuit. Ast mera conjectura hæc est. Num denique Fredegarius *Gesta Francorum Epitomata*, sive ex Turonensis Gregorii libris X contracta, quæ apud Freherum Annalibus Nazarianis subjiciuntur, ipse pariter contraxerit, res admodum incerta videtur, ut- ut id affirmet Pagius ad an. 642. n. 5.**

CHRONICON BREVE S. GALLI, inde sic appellatum, quòd CHRONIC. in Monasterio S. Galli apud Helvetos fuerit scriptum atque repertum, BREVE extat apud du - Chesnium T. III Script. Franc. atque ab an. 748 usque S. GALLI, ad an. 926 temporum gesta complectitur. Ejus sapiùs meminere Eckartus in Comment. de Franc. Orient. v. g. T. I. p. 671. n. 183. &c. Pagius T. III. ad an. 791. n. 4. & an. 910. n. 3. &c.

CHRONICON Godefridi Viterb. Vide Godefridus.

CHRONICON Helmoldi. Vide Arnoldus Lubec.

CHRONICON Hermannii Contracti. Filius is fuit Wolferadi, Verin-CHRONIC. genis in Suevia Comitis, ex Hiltrude conjugè progenitus; Monachus dein Augiæ Majoris seu Divitis prope Constantiam ad lacum HERMAN. Acronium, pietate & doctrinâ conspicuus, vivere desiit in Aleshusen, prædio suo, ibique sepultus. Chronicon apud Scriptores æstimatissimum multo labore collegit atque conscripsit ab ortu Mundi usque ad an. Christi 1054, continuatum dein à Bertoldo Constantiensi, de quo supra. Extat illud tum seorsim excusum, tum T. I Script. Germ. ab Urstisio gemino contextu expansum, item T. I. Vet. Script. Germ. apud Pistorium: denique adhuc auctius, atque, ut ait Labbeus, correctius T. I. Antiq. Lect. apud Henricum Canisium, Tomo verò III earundem Lectionum Amstelodami à Basnagio recusarum an. 1725. Tria itaque Chronici hujus sunt exemplaria: Primum, quod juxta Urstisii in hoc Chronicon præfationem ex Monasterio S. Galli fuit transcriptum, est brevius: alterum, quod ex Bibliotheca S. Georgii Hercyniæ sylvæ est erutum, à rebus anni 378 multò est amplius & emendatius, illudque una cum priore edidit Urstisius. Tertium, quod ex MS. Codice Augustani Monasterii Sanctorum Afræ & Udalrici desumpsit Canisius, altero adhuc est auctius, simulque in Chronotaxi non rarò mutatio intercedit. Præterea utrumque prolixius Chronicon, tam Urstisianum, quàm Canisianum, ex aliis Scriptoribus antiquioribus, scilicet Eusebio, Hieronymo, Ruffino, Prospero, Jornande, & Beda usque ad an. 726 fuit congestum, ut ex intermediis Chronici textibus liquet ad an. 326. 375 & 378. 395. 454. 550. 726. Cetera usque ad an. 1054 (quæ de rebus potissimum Francicis agunt) tum ex vetustioribus Auctoribus Francicis, ac præcipuè ex Annalibus Fuldensibus Freherianis usque ad an. 900 (ut observat Eckhartus T. II Comment. de rebus Franc. Orient. p. 714. n. 338) tum ex Majorum traditione & propria rerum temporumque notitia diligenter conquistata fuère atque conscripta.

Num verò Hermannus Contractus ipsemet triplicis hujus Chronici, etiam ut dupliciter aucti emendatique sit auctor, an alius Hermannus posterior, qui quæpiam addiderit, quæpiam refecerit, dubitant Eruditi. De Antiquiore sive breviori San-Gallensi vix quispiam erit, qui ambigat, illud Hermannus deberi. Neque de Urstifiano multum videtur controverti, & in præfatione sua Urstifius pro Hermannus Auctore pronuntiat; quam opinionem pariter illud confirmat, quod in editione Urstifiana ad an. 1053 Hermannus de suo fratre hisce verbis testatur: *Werinbarius Frater meus Augiensis Monachus, admodum doctus, & religioni vera deditus juvenis, cum alio Monacho Liuthario. . . peregrinationem clam pro Christo aggreditur, literis remissis licentiam Abbatis postulans & impetrans &c.* De Canisiano apographo non eadem est Eruditorum consensus. Canisius ipse in sua Præfatione potius in alium propendit auctorem, qui partim largiora illa (quæ in prioribus Editionibus defunt) additamenta adjecerit, partim alia, quæ in Urstifiano Codice extant, penitus refecerit, simulque annorum ordinem, præcipue in antiquioribus gestis permutavit. Canisio suffragatur Miræus in notis ad cap. XII libri Honorii Augustodunensis de Script. Eccles. Papebrochius in Propyleo Maji p. 145. n. 4. rem in medio relinquit, neque quidquam definit. Imò interpolationis quodammodo suspectus creditur Codex Canisianus, ideoque Pistorianus præhabendus censetur in Actis SS. T. I. Septembr. p. 540. n. 338; ubi ad an. 1031 de Pace cum Stephano Rege fit mentio: ut commoda simul Canisiani textus explicatio ibidem addatur. Conradus Janningus, licet T. VI. Junii in Appendice ad diem X Junii sive ad vitam B. Bardonis Archiep. Moguntini p. 89. n. 10 & 11 utriusque Chronici, tam brevioris, quam locupletioris Canisiani Parentem esse Hermannum primò videatur innuere, ipse tamen numerum XI. hisce verbis concludit: *His deductis, nolim tamen existimari, auctius Hermannus Chronicon ab ipsemet auctum fuisse, nullo sufficienti argumento id mihi persuadente; potest enim ab alio deinde auctum & interpolatum fuisse.* Atamen num. 10 ait: præferendam Hermannus Scriptionem posteriorem (siquidem ille hujus sit auctor) Scriptioni priori; *quis enim vir prudens mutat sententiam, nisi meliora doctus?* simulque corrigit Pagium, qui ad an. 1019 n. I. potius posterius Chronicon, sive Canisianum, quam illud brevius erroris arguere maluit. Denique Janningus l. c. n. 11. convenientissimè explicat, quomodo Hermannus sequaces, ut Lambertus Schaffnaburgensis, Marianus Scotus, Conradus Urspergensis & Chronographus Hildeshemiensis diversos subinde annos in Chronicis suis notare potuerint, quam Sigebertus; potuit enim hic habuisse Her-

Hermannii Chronicon auctius, illi brevius; quæ Janningi responsio adaptari similiter poterit ad ea, quæ cit. T. I. Sept. de Pace cum Stephano, seu Pacis tempore, ex ceterorum Scriptorum diversitate adversus Chronicon Canisianum peti posse sunt visa. Pagius T. IV Crit. ad an. 1054 n. 20. ita de tertia hujus Chronici editione statuit: *cùm Hermannus se ipsum in prima persona nominans, modò diem & annum sue nativitatís, modò diem & annum, quo ad studia missus fuit, modò Parentum suorum nomina, & quæ eis contigere, memoret, non video dubitandi locum, quin ipsemet primum suum partem (addo ego, etiam secundum, sive Urstisianum) uti imperfectiorem, postea auxerit, vel correxerit; cùm illud olim, hodièque aliis Scriptoribus in more positum fuerit. Editionem Canisianam omnium optimam Baronius Anno tantùm MXXXV num. II. citare incipit. Ita Pagius: qui tamen ipsa Chronici verba non allegavit, quibus sua dicta in lectoris gratiam luculenter firmaret. Ita igitur in solo Canisiano Codice legitur. Ad an. 1009. *Wolferadus Comes Hildrudem, Pilgrim & Bernhardi filiam, uxorem duxit, ex qua postea me Hermannò annu-merato 15 liberos produxit.* Ad an. 1010 *Senior Wolferadus Comes, paternus Avus, in ensibus clemens, & justitiæ tenax, inter suosque præclarus 4. Nonas Martii jam senex moritur.* Ad an. 1013. *Herimannus ego XV Cal. Augusti natus sum.* Ad an. 1020 *Ego Herimannus literis traditus sum 17. Cal. Octob.* Ad an. 1021. *Werinbarius Frater meus Calendis Novemb. nascitur.* Ad an. 1032. *Bertha Avia mea, femina satis religiosa, XXIII viduitatis anno, II Calend. Januarii decessit.* Atque hæc singula, quæ tum de Hermannò tum de Hermannii familia quoad dies & annos tam exactè vix quisquam alius præter ipsummet Hermannum scire poterat, adedè mihi videntur perspicua, ut de eodem Hermannò, tanquam verissimo Canisiani Chronici auctore & emendatore, nullam penitus apud me dubitationem relinquunt. Neque enim ulla verosimilis apparet ratio, cur ea sola, quæ mox recensuimus, ab ipso quidem Hermannò, cetera verò ab aliis addita arguere liceat, præcipuè cùm uniformitas styli in eodem Chronico, maximè circa X & XI seculi gesta, præ cæteris elaborata, servetur. Sæpiùs itaque lambendo fœtum, eundem magis magisque perpoliit Hermannus, & prouti cum rebus tempora identidem sibi perspectiora reddiderat, ita pro industria sua & unius veritatis studio quæpiam addidit, nonnulla rejecit, & minùs fidelibus annis veriores substituit: præcipuè si illi ipsi, in quorum manus primus æquè atque secundus Hermannii labor pervenerat, certiora postmodum Hermannum edocuère; id quod verosimillimè factum.*

Nihilominus, etiam post tam insignem Hermannii conatum, in Chronologicis ac præprimis in paulò anteriorum temporum calculis
eun-

eundem frequentius cespitasse affirmat Pagius v. g. T. IV ad a. 972. n. 1. an. 974. n. 1. an. 975. n. 5. an. 1019. n. 1. quanquam hic discutere non allubet, num ubique fat solidè Pagius Hermanni Chronologiam impugnet: an potius ipse, dum impugnat, quandoque impingat, & cum errantibus, quos sequi maluit, auctoribus erret. Illud verò de Hermanni Chronico non omittendum, quòd anni Principium à Nativitate Domini repetat (Vid. PAGIUS T. IV. ad an. 983. n. 6.) dein quòd annos inchoatos pro integris accipere solet Hermannus (Vid. *Papebroch.* in Propyl. Maji p. 178. n. 2. de Joanne XVIII) id quod aliis etiam Scriptoribus, ut Origeni, Theophani &c. imò & Scripturæ Sacræ est admodum familiare. Vid. *Acta SS.* T. I. Aug. in Hist. Chronolog. Patriarch. CP. n. 438. T. IV Julii p. 17. n. 4. ad diem XV. Cornel. à Lapide T. I. in Lib. Regump. 142. *Pagius* ad an. 1086. n. 7. in fine, & ad an. 1125. n. 6.

CHRONIC.
HILDESH.

CHRONICON HILDESHEMIENSE. Vide ANNALES.

CHRONIC.
HISPANIC.

CHRONICA HISPANICA, five quæ in Hispania partim sub finem XVI partim sub initium XVII seculi sub nomine *Lucii Dextri: Marci Maximi: Juliani Perezii: Luitprandi: Helece: Liberati: Hauberti Hispalensis:* unà cum *Gregorii Granatensis* Episcopi Martyrologio &c. tum ex nostri Hieronymi Higuera, tum ex Lupiani Zapata & Gregorii Argaizii Benedictinorum siglina aut veriùs ficulneo cerebro fuere progenita, initio quidem acerrimos sui vindices, ut Franciscum Bivarium, Thomam Tamayum de Salazar, Laurentium Ramirez &c. aliquamdiu habuere; ast hodie ab omnibus, qui paulò magis ultra illiteratæ credulæque plebis quisquilias suum nomen attollunt, cum nausea rejiciuntur, atque inter primæ classis nugamenta & fabulamenta plus quàm Cretensia amandantur. Integra certè Virorum eruditorum acies contra fanaticam hæc Chronica, absurdissimòsque Chronicastros suum calamum strinxit, & luculentissimas fabulas orbi retexit. Consuli de his poterunt *Papebrochius* noster P. II. Responf. contra P. F. Sebast. à S. Paulo Art. XV. à n. 364 ad 374. ac præcipuè Art. XXI à n. 3 ad 26, ubi plurium Eruditorum nomina ac lucubrations contra hæc Chronica allegantur. *Labbeus* T. II Script. Eccl. p. 35. 36. 332 *Cuperus* in Dissertatione de Guzmanna S. Dominici stirpe Antverpiæ edita an. 1740. p. 34. 35. n. 56. 57. 58. *Xaramilius* in Apologia pro veritate & pro Hagiographis Antverpiensibus cap. X. p. 85. 86. *Didacus de Quadros* in Palæstra Biblica T. II. p. 440. 441. *Acta SS.* T. I. Febr. in Præfatione pag. XVII. T. II, Martii p. 383 in vita S. Longini: item p. 44. n. 2. ubi, quòd ex Epi-

Epistola Dextri, qui fuit filius S. Paciani, surrepta occasio fuerit, Dextri Chronicon confingendi. T. I. Maji in Ephemeridibus Græco-Mo-
scis pag. VII col. 2. in fine: item p. 10. n. 20. in vita S. Philippi
Apostoli p. 10. n. 20. ubi fingit Pseudo-Dexter, quod Gentiles illi,
qui à Philippo videre Jesum desideraverant, fuerint Hispani. T.
VI. Maji p. 23. n. 2. col. 1 in vita S. Pasceratis. Item p. 450. n. 3. in
Actis SS. Guinizonis & Januarii. T. V. Junii p. 159. n. 8. ubi com-
miniscitur pseudo-Julianus, Joannem & Paulum MM. Romanos
fuisse Hispanos Saguntinos. T. I. Julii in Tract. Prælim. p. 42. 43.
44. & p. 58. 59. 60. ubi plura de Tamayii & Bivarii adfigmenta, San-
ctosque Hispaniæ arrogandos & corradendos prurigine. Item p. 642.
ubi rursus de Tamayo fit mentio. T. VI. Julii in Tract. Prælim. de
Liturgia Hispanica p. 11 & 12. n. 55. 56. 57. 58. & p. 7. col. 1. n. 10.
11. T. I. Aug. p. 6. lit. d. e. ubi pseudo-Julianus ridiculè tradit,
Machabæos Martyres ex Hispania oriundos. T. IV. Aug. p. 17. n. 8.
in Actis S. Amatoris Eremitæ. p. 428 in Actis SS. Bonosi & Maxi-
miliani MM. p. 562 n. 9. usque ad n. 23 in Actis SS. Minervii & Elea-
zari MM: & p. 594. 595 in Actis S. Lupi M. T. III. Sept. p. 11. n. 7.
p. 765. n. 14. Innumera alia, quæ in Actis SS. occurrunt, libens
prætereo.

CHRONICON Hugonis Flaviniacensis, Vide Chron. Viridun.

CHRONIC.
HUGONIS.

CHRONICON MAGNUM Belgicum, quod à 54 anno Christi usque ad
an. 1474 deducitur, & à Joanne Pistorio inter VI Scriptores Rerum
Germanicarum est editum, collegit Anno 1498 anonymus quispiam
Canonicus Regularis prope Nussiam in Diocesi Colonienfi: prout
liquet ex iis, quæ hic Collector tum p. 348 de anno suæ Scriptionis,
tum p. 347. 348. 349 & seqq. de Monasterio Nussienfi copiosissimè
differuit, atque gestis anni 1409 immiscuit. Non modicæ auctori-
tatis censetur hoc Chronicon, quia collectum ex Scriptis antiquiori-
bus, partim adhuc residuis, partim jam deperditis, aut certè in lu-
cem nondum hætenus datis: multumque tam Chronici fidem, quàm
lectorum attentionem promovit Collectoris industria, quod, in sin-
gulis prope narrationibus suis, Auctorum, Chronicorum, aut alio-
rum monumentorum, ex quibus sua ille excerpterat, nomina distinctè
expresserit. Attamen *priora*, sive vetustiora *Secula vel fabulis vel ana-
chronismis deturpata* inquit Pagius T. IV. Crit. ad an. 1177 n. XX. Gund-
lingius in Hist. Imp. p. 832. Collectorem hunc *Albericum* compellat;
quo verò istud ex argumento aut conjectura, non amplius addit.

CHRONIC.
MAGNUM.

CHRONIC. MALLEAC. CHRONICÓN MALLEACENSE, seu S. Maxentii (quod apud Labbeum extat T. II Biblioth. MS.) conscripsit mediū circiter XII Seculi Auctor. Meminere illius Chronici, ut fide digni, *Papebrochius* T. VII Maji in Paralip. p. 89 col. 2. ad num. 7. p. 93 col. 2. ad num. 27. *Pagius* T. IV ad an. 1055. n. 5. an. 1062. n. 11. an. 1096. n. 2. an. 1099. n. 10. an. 1120. n. 25. an. 1124. n. 3. an. 1130. n. 43, ubi simul advertit Pagius, quòd annum à Paschate hic Chronographus ordiatur.

CHRONIC. MARIANI SCOTI. CHRONICÓN MARIANI SCOTI. Hic relictâ Scotiâ, seu veriùs Hiberniâ, primò Colonienfis, dein Fuldenfis Monachus, demum Moguntia Reclusus & sanctimonîæ laude decorus ad superos ibidem abiit anno 1086, postquam inter solitariæ cellæ silentia Chronicon à Christo nato ad annum usque 1083 concinnârat. Meminit hujus Chronici Sigebertus in Catalogo Virorum Illustrium tum cap. 159, tum cap. ult. ubi Marianum *Virum ævo suo longè disertum* nominat. Testatur verò Labbeus T. II Script. Eccl. p. 53 & 758, quòd Jacobus Waræus l. 1. de Script. Hiberniæ nonnulla, scitu non indigna, de Mariani Chronico observârit. *Primum*: quòd in ejus Chronici impresso Codice plurima sint omissa, quæ in MSS. exemplaribus habentur, ut ex Briano Twuino liquet de Antiquitate Academia Oxoniensis libro II. *Alterum*, quòd ex hoc opere quàm plurima Chronico suo inferuerit Florentius Wigornienfis, qui Marianum *Hiberniensem* vocat. Sunt verò etiam, quæ in Mariani Chronico, ceterà laudatissimo & inter Scriptores vulgatissimo, meritò improbentur. 1. Frequentes, qui in antiquiorum Pontificum Chronologia occurrunt, anachronismi. Vid. *Nat. Alex.* T. VI. Hist. Eccl. ad Sec. IX Dissert. III de Joanna Papissa p. 233. 234 responsione ad primum. 2. Quòd ab impostore quopiam fuerit interpolatum ac depravatum: ut patet ex commentitia Joanna Papissa: qui propudiosus simul & ridiculus cento in nullis antiquioribus Mariani Chronicis MSS. legitur, ut omnes Eruditi & oculati testes consentiunt. 3. Baronius T. X Annal. ad an. 891 ait: *Marianus Scotus post Marinum Papam Agapetum ejus Successorem somniat: & post Hadrianum Basilium nunquam visum vel auditum collocat: & post Basilium ponit Stephanum. Quin & idem ipse Sigebertus eodem errore de Agapeto & Basilio imaginariis Pontificibus abducitur.* Vid. de Mariano *Possevinum* T. II Apparatus, verbò: *Marianus Scotus*: & p. 217 verbò: *Sigebertus.* *Nat. Alex.* T. VI Hist. Eccl. ad Sec. XI Cap. V. Art. V. p. 505. n. V. Labb. l. c. &c.

Num autem hic Marianus Scotus idem sit cum Mariano Scoto Ratisbonensi, qui colitur IX Februarii, dubitârunt nonnulli. Guilielmus

mus Eifengrienius in Catalogo testium veritatis, Menkenius in Lexico Eruditorum, David Camerarius &c. unum eundemque Marianum esse crediderunt. Ast Raderus in Bavaria Sancta: Bollandus T. II Febr. ad diem IX. in vita BB. Mariani & Murcherati p. 362. n. 11. diversos omnino Marianos esse, etsi eadem ætate vixerint, satis jam evicere. Bollandum sequitur Natalis Alex. l. c. Colitur enim Marianus Ratisbonensis 9 Febr.; ast Marianus Fuldenfis five Chronographus (etsi Wionius l. 2. ligni vitæ c. 22 hunc pariter Marianum, pro more scilicet suo, Sanctum absolute compellet) à Bollandò tamen T. II Januarii ad diem XXX merito inter *Prætermittos* reponitur. Vid. *Bollandus* ad dictam XXX Januar. & IX Febr. ubi etiam de Wione fit mentio. Dein plura, de quibus inter Eruditos facile convenit, opera lucubravit Marianus Fuldenfis, eaque recenset Possevinus l. c. Ast de Mariano Ratisbonensi vix quidquam certi compertum habemus, quàm quòd commentationes quaspiam in Psalmos, & quidem aliena ex supellectile compilârit.

Excusum est Mariani Chronicon unà cum Martino Polono Basileæ anno 1559. dein Francofordiæ an. 1583 & rursus Hanoviæ an. 1613 T. I. Script. rer. Germ. apud Pistorium: item Ratisbon. 1726, inter Scriptores à Struvio editos, T. I.

Marianum Scotum continuavit usque ad annum 1200 *Dodechinus*, sub finem Sec. XII Abbas S. Disibodi in Comitatu Spanhemienfi. In Chronotaxi tamen eundem subinde falli docent ea, quæ *Pagius* T. IV Crit. ad an. 1139 n. 1 & 3. item *Stiltingus* T. V. Septembr. p. 632. n. 19 in Comment. præv. ad vitam S. Hildegardis. *Janningus* T. VI. Junii p. 46. n. 10 observat, quòd in *Dodechini* Chronico ad an. 1126 duo sphalmata lateant, textusque sit mancus, in librorum fortè, aut typhotetarum negligentiam, saltem ex parte rejiciendus. *Gretferus* verò l. 2. contra Repl. c. 13. antequam Paschalis Pontificis sermonem, à *Dodechino* ad an. MCXI relatum, commemoret, paucis præmonet, aliter rem enarrari ab aliis auctoribus contemporaneis, quos *Baronius* T. XII Annal. ad an. MCXI in medium profert. Unde his major fides adhibenda, quàm *Dodechino*, nonaginta circiter annis posteriori. *Dodechinum* unà cum Mariani Chronico idem edidit Pistorius, & sapiùs posthæc fuit recusum, ut videre est apud *Buderum* p. 58 in Biblioth. Script. quæ *Struviano* Corpori Hist. Germ. præmittitur.

CHRONICON MARTINI POLONI. Martinus, natione Polonus, in Ordinem S. Dominici adscitus & sub Nicolao III primùm Pœnitentiarius MARTINI Romanus, dein an. 1278 Gnesnensis in Polonia Archiepiscopus, inter POLON.

cetera scripsit Chronicon, quod, ut ipse præfatur, ex diversis Chronicis & gestis Summorum Pontificum & Imperatorum congeffit & usque ad an. 1277 est profectus. Unde nec major hujus Chronici fides, quàm illorum, ex quibus sua petiit Polonus. Posssevinus in Appar. T. II p. 410 de illo ait: *Historiæ suæ plures admiscuit fabellas, ac si historiæ probatissimæ fuissent.* Bellarminus l. de Script. Eccl. ad an. 1250 p. m. 360 ita de Polono pronunciat: *quem Auctorem in hoc meo libro non posuissim, nisi citaretur ab historicis Magdeburgensibus atque ab aliis hæreticis; fuit enim Martinus Vir simplex, & fabellas pro historiis obrudit; qualis inprimis est illa de Joanna Papa femina.* Casimirus Oudinus cum adhuc Catholicus scriberet, in supplemo de Script. Eccl. p. 550, similiter inquit, Martini Chronicon scatere fabulis, sed quas jam constat inmissas esse ab hæreticis. Vid. Stilling. T. V. Aug. in Gloria posthuma S. Bartholomæi p. 94. n. 222. ubi contra Adversarium Dinum, Scriptorem Italem, tam Oudini, quàm Bellarmini de Polono iudicium profert, simul tamen addit, non ubique Poloni testimonium esse respuendum, sicubi & alii Scriptores probati suffragentur. Erroneum verò est, quod Bellarminus & Posssevinus (ex sinceriorum videlicet Codicum MSS. vel defectu vel neglectu) ob unius Martiniani Chronici, tunc jam impressi, auctoritatem scripsere, Joannam Papißam inter Martini fabulas esse connumerandam. Neque enim in antiquioribus Martini exemplaribus MSS. eam fabulam legi certissimum est, & nobis quoque distinctior alibi sermo redibit.

Editum est Martini Chronicon imò Basileæ an. 1559 unà cum Mariano Scoto. 2. Antverpiæ an. 1574 operâ suffridi Petri Frisii in forma 8va unà cum Annotationibus. 3. Inter Scriptores Germanicos, qui, qui (ut re ipsa sit una eadèmq; Scriptorum Collectio) sub diversorum tamen Collectorum, scilicet Böcleri, Kulpisii, & Schilteri nominibus Argentorati an. 1685 & 1702 prodiere. Quæpiam hujus Chronici MS. Excerpta etiam dedit Sagittarius l. 2. Antiquitatum Regni Thuringici p. 241. Demum huic Martini Chronico continuationem Austriacam addidit Anonymus, ab Rudolpho I Habsburg. usque ad an. 1343; quam continuationem Corpori Historico mediævi Tomo I inseruit Georgius ab Eckhart.

CHRONIC.

MOISSIAC.

CHRONICON MOISSIACENSE. Vide *Annales.*

CHRONIC.

ORIENT.

CHRONICON ORIENTALE, seu HISTORIAM PATRIARCHARUM (ut à Solerio dicitur T. V. Junii p. 18. n. 95 in Hist. Chronol. Patr. Alex.) latinè vertit Abrahamus Echellensis, natione Maronita, superioris Seculi

culi Scriptor, illudque Parisiis ex Typographia regia edidit an. 1651. Recusum verò Venetiis T. XX. Hist. Byzantinæ. Plurimum quidem hujus Chronici auctoritati tribuit, & præfidentius usus est Montfauconius, è Congregatione S. Mauri Scriptor Benedictinus in vita S. Athanasii, recens cum notis edita. Ast eam ob causam non parùm reprehensus est à Sollerio T. V. Juniii l. c. ubi à p. 44 in Mantissa sua Chronicon illud multiplici ex capite vocat *mendosissimum*, *toties falsi convictum & convincendum*. Vid. p. 45. n. 234. Dein pag. 1. l. c. n. 4. ait Sollerius: “ Dolendum, illinc plus affusum esse caliginis, unde lucis aliquid sperabatur. Scriptores Ægyptios intelligo, ab annis nondum quinquaginta editos, & juris publici factos, *Eutyrium Alexandrinum: Severum*, ex quo *Chronicon Orientale Echellensis: & Abulbaracatum Vanslebi*; quorum hic Seculo XIV: Chronici Collector XIII: primi duo Seculo X florere; ac proinde non sunt tantæ aut vetustatis aut auctoritatis, ut ex eorum fide, antiqua & probata Ecclesiæ monumenta concuti, nedum convelli possint. Equidem, quò attentius eorum scripta considero, ut quàm modestissime dicam, suspecta habeo plurima, tum ad temporum rationem, tum ad res ipsas spectantia. Alii apertè edicunt, eos ineptiis, fabulis, mendaciis, seu mavis incertissimis popularibus traditiunculis plerumque adeò scaterere, ut difficillimum sit verum à falso discernere. “ Paginâ 2. n. 5. 6. 7. ostenditur, quòd Eutyrius Patriarcha Alexandrinus fabulas adhuc magis adauxerit, & ea propter pessimè audiat apud Raynaudum, Naironum, Pearsonium, Pocochium. “ Paginâ 2. n. 8. pergit Sollerius: Chronicon Orientale edidit Echellensis Parisiis an. 1651, eique inseruit Historiam Patriarcharum Alexandriæ, desumptam, ut creditur, ex Historia Ambasæ Severi, Jacobitæ Episcopi Ischmunim, quem vixisse ait Vanslebius anno Martyrum 687, Christi 970; quam deinde Auctor Coptita, nescio quis, ad usque Seculum XIII, eodem quo cœpta est stylo continuavit. Eam historiam passim ineptissime consutam, certioribus monumentis destituti, nonnunquam sequi cogimur; ceterum in iis, quæ de Marco narrat, eo mihi ferè loco est, quò Eutyrius: nec satis capere valeo, quanam hic Scriptor monumenta antiqua consuluerit, adeò Symmetris suis repugnantia, ut eis passim adversetur. Audi pauca. „ Probat postmodum Sollerius, quomodo hoc Chronicon non modò Eutyrio in multis contrarium sit, sed & sibi ipsi contraria asserat; unde parvi pendenda hæc Chronica. Similiter Abulbaracati Catalogum *mendosissimum* esse, notat Sollerius p. 2. n. 10. & confer p. 54. 55. à n. 278 ad 288.

Denique p. 3. n. II ita concludit Sollerius : “ Itaque , ut semel
 “ dicam , de Annalibus illis Arabicis ita statuendum esse existimo ,
 “ ut quoties nostris (scilicet Eusebio , Hieronymo , aliisque proba-
 “ tissimæ notæ Scriptoribus) consentiunt aut saltem cum iis conci-
 “ liari possunt , admittantur ; sin repugnantia , vel , more suo , de-
 “ pravata tradiderint , tanquam dubia & incerta repudientur ; donec
 “ aliunde roboris aliquid seu majoris lucis accesserit ; idque in iis
 “ maximè , quæ primorum Seculorum res gestas complectuntur. Aliàs
 “ verendum puto , ne istiusmodi fabulosis narratiunculis rerum no-
 “ strarum Historiæ enerventur potius quàm confirmari queant. Vid.
 etiam *Henschenius* T. III April. ad diem XXV in Comment. præv. de S.
 Marco §. 2. ubi de Chronico Orientali sive Severo fit mentio.

CHRONIC. CHRONICON REGINONIS Abbatis Prumiensis , quod ab adventu Do-
 REGINON. mini usque ad sua tempora , sive usque ad an. 908 deductum , tum
 ipse Regino in Epistola sua nuncupatoria , tum Harigerus Abbas Lo-
 biensis , ejusdem Sec. X. Scriptor in Episcoporum Leodiensium gestis
 apud Martenium T. IV. Collectionis Vet. Monum. col. 849 §. 7. de
 Reginonis Chronico disertè testantur. Hodierna tamen , quam ha-
 bemus , Chronici hujus editio in anno 905 jam desinit ; nisi fortè
 duo trèsve postremi anni in unum fuerint compacti , ut suspicatur Lab-
 beus T. II. Script. Eccl. p. 289. Illud postmodum usque ad Othonis
 II tempora (qui imperare cœpit an. 972.) profectus est alius Ano-
 nymus , atque (ut Pagius T. IV ad an. 964 n. IV existimat) etiam
 contemporaneus. Simlerus , & cum eo Vossius l. 3. de Historicis La-
 tinis cap. V. Partis IV. *Romerium* illum fuisse conjectant. Vid. *Labb.*
 l. c. Quanquam haud inverosimile putem , quòd Regino , postquam
 primam Chronici sui lucubrationem jam absolverat eamque Adalbe-
 roni Episcopo dicârat , ipse deinceps quampiam Continuationis par-
 tem priori partui adjecerit , aut in chartis reliquerit. Nam , ut ex A-
 ctis SS. T. VI Julii p. 175. n. 39. in Comment. præv. ad vitam S. Ma-
 gnerici Ep. colligitur , Regino ad annum circiter 921 vitam extraxif-
 se videtur.

Prima Reginonis Editio prodiit Moguntia , an. 1521 , opera Se-
 bastiani de Rotenhan : *altera* Francofordiæ 1566 per Simonem Schar-
 dium : *tertia* eaque castigatior itidem Francordiæ an. 1583 per Joa-
 nem Pistorium. *Quarta* Argentorati an. 1609. *Quinta* , qua Pistoria-
 næ consonat , Hanoviæ an. 1613. *Sexta* Ratisbonæ an. 1726. per Bur-
 chardum Struvium inter Scriptores Germ. quos tribus Tomis comple-
 xus est. Has inter Editiones ea meritò reprehenditur , quam Schar-
 dius

dius scholiis suis marginalibus, uttòt pauculis, maledicis tamen atque infulsis dehonestavit, ut videre est ad an. 753 & ad an. 801.

Ea porro, quæ Regino in primum sui Chronici librum usque ad an. 741 congescit, ferme omnia ex Eutropio & Paulo Warnefrido repetiit; cetera, quæ ab an. 741 ad 814 narrantur, unde desumpserit Regino, ipsius ita se explicat ad e. a. 814. *Hæc quæ supra expressa sunt, in quodam libello reperi, plebejo & rusticano sermone composita (Annales Loiselianos intelligit) quæ ex parte ad latinam regulam correxi: quedam etiam addidi, quæ ex narratione Seniorum audiui. Cetera, quæ sequuntur, meæ parvitatæ studio descripta sunt, prout in Chronicorum libris adnotata inveni, aut ex relatione Patrum auditu percipere potui. Et de Ludovici quidem Imperatoris temporibus per pauca literis comprehendere: quia nec scripta reperi, nec à Senioribus, quæ digna essent, memoriæ commendanda audiui. De Lotharii verò Imperatoris & fratrum ejus Regum Francorum gestis, plura descripsi; ubi verò ad nostra tempora ventum est, latiùs sermonem narrationis protraxi; aliter enim, ut Hieronymus ait, narrantur visa, aliter audita; quæ meliùs scimus, meliùs & proferimus.* In Præfatione verò sua ad Adalberonem ita inquit: Chronica, quæ de nostris & antecessorum nostrorum temporibus literis comprehendere, vestræ singulari prudentiæ examinanda transmisi, ut vestro perspicaci judicio aut approbarentur aut condemnarentur. Ea autem in duos libellos distinxi, exordium capiens à primo Incarnationis Dominicæ anno, & consummans cœptum Opus usque in præsentem annum, qui computatur à præfata incarnatione Domini nongentesimus octavus. Indignum etenim mihi visum est, ut cum Hebræorum, Græcorum atque Romanorum aliarumque gentium historiographi res in diebus suis gestas scriptis usque ad nostram notitiam transmiserint, de nostris, quanquam longè inferioribus, temporibus ita perpetuum sit silentium, ut quasi in diebus nostris aut hominum actio cessaverit, aut fortassis nil dignum, quod memoriæ fuerit commendandum, egerint, aut si res memoratu dignæ gestæ sunt, nullus ad hæc literis mandanda idoneus inventus fuerit, notariis per incuriam otio torpentibus. Hæc itaque de causa non passus sum tempora Patrum nostrorum, & nostra per omnia intacta præterire, sed ex multis pauca notare curavi, & ubi ad præsentia tempora ventum est, stylo temperavi, propter quorundam offensam, qui adhuc sunt superstites, latiùs hæc posteris exequenda reliquens. Accipite ergo hoc parvum munusculum, ea benignitate, quâ devotione missum est à mea parvitate. In calce autem obsecro lectorem, ut si illi hæc nostra dicta, qualiacunque sint, placuerint, & ea sibi describi voluerit hanc præfatiunculam nul-

“ latenus

“ latenus omittat, quin eam in prima fronte libelli annotari faciat. Atque ex hisce, quæ prolixius adduximus, Reginonis verbis alia videtur dirempta quæstio; num videlicet Regino Annalistam Metensem, an hic Reginonem exscripserit. Prius illud supponit potius, quàm probet, Pagius. Alterum affirmat Gundlingius in Hist. Cæs. p. 241 & 265; quanquam nec iste assertionis suæ rationem alleget.

Ait autem Regino primò. Quòd de temporum suorum rebus perpetuum sit silentium, neque ullus ad hæc literis mandanda idoneus sit inventus. Quâ verò præfidentiâ ita scribere potuit Regino, si ipse Annalistam Metensem verbotenus exscripsit? num perpetuum silentium argui, aut nemo scriptioni idoneus à Reginone palam poterat jactitari, si ipse Annalistam Metensem idoneum censuit, quem ad singulos propè apices expilaret? Ait secundò. Quòd ipse passus non sit tempora Patrum suorum per omnia penitus intacta præterire, sed ex multis pauca notare curaverit, stylo tamen temperaverit, ubi ad sua ætatis homines adhuc superstites ventum, posteris tamen latinis ea exequenda relinquens. An verò tota hæc Reginonis locutio non abunde commonstrat, quòd postremorum temporum historiam pro sui potissimùm ingenii atque industriæ partu is venditet? quomodo autem venditare sic potuit, si jam ante ipsum intacta ea gesta præterire passus non est Annalista Metensis? Tertio. Ad an. 814 ea, quæ sive ex libello veteri sive ex Chronicis excerpit Regino, apertè distinguit ab iis, quæ vel ipse ex Senioribus audiit, vel ipse postmodum vidit: simulque in iis, quæ ipse vidisset, prolixiorem se fore testatur. Itaque non alterius calamo, & furtivæ peni, sed suæ solertiæ postremam sui Chronici partem Regino debet. Quarto. Si Annalistam Metensem jam in subsidiis habuit Regino, ibi sanè non invenire non potuit, quæ satis copiosè tum de Ludovici pii Imperatoris, tum de subsequentiæ Regum temporibus, partim ex Annalibus Laurishemiensibus & Bertinianis, partim ex aliis v. g. ad an. 687. & 843 ipse Annalista Metensis decerpit atque collegit. Quò pacto igitur sive ab an. 655 usque ad an. 741, sive ab an. 814 usque ad an. 850 complures annos penitus intactos prætermittere, illos verò annos intercalares, quorum meminit, parcissimè attingere potuit, eo solùm ex capite, quòd nec scripta quæpiam hac super re repererit, nec à Senioribus memoriæ digna audiverit? Planum itaque fit, quòd Regino Annalistam Metensem præ manibus necdum habuerit, cum Chronicon suum absolveret, illudque Adalberoni nuncuparet. Quintò demum: fuit Regino Annaliæ Metensi saltem contemporaneus, si non prior; cum ergo uterque eodem tempore scripserit, minùs est verosimile, quòd Regino Metensem Scriptorem recentissimè cum insigni plagio

plagio exspoliârit, & alterius laborem, pro suo temerè obtrusum, Adalberoni Episcopo palàm dedicare sit ausus. Multò itaque verosimilius erit, quòd cùm Regino opus suum non privatæ, sed publicæ Germanorum notitiæ destinârit, etiam *ab aliis, sicubi placuisset, deinceps describendum*, quòd, inquam, Reginonis Chronicon, jam ab ipsa sui ad Episcopum inscriptione publica notissimum, etiam in Annalista Metensis, Reginone posterioris, manus pervenerit; qui sicut ex aliorum scriptis Annales suos locupletavit, ita etiam Reginonis Chronicon vulgatissimum inter sua transcripserit, atque ad annum usque nongentesimum (ut Pagius ait ad an. 687. n. 8.) vel ad an. 904. (ut aliis placet) neque ulterius describendo pervenerit, sive quòd fatò præventus, sive quòd aliis negotiis præpeditus, opus prosequi ultra vel non posset, vel non vellet. Erravit proinde Pagius, qui T. III. Crit. ad an. 887. n. 8. an. 890. n. 1. an. 892. n. 8. an. 894. n. 1. & 17. an. 898. n. 1. Reginonem ex Annalista Metensi sua mutuatum fidenter supponit.

Verius illud est, quod idem Pagius ad an. 863. n. 4. an. 892. n. 8. an. 894. n. 5. an. 898. n. 10. ac præcipuè ad an. 902. n. 12. observat, Reginonis Chronicon, ut ipse rebus non paucis, à se narratis, synchronus fuerit, multoties tamen in Chronotaxi minùs esse legitimum; sive quòd ipse Regino sit memoriâ lapsus, sive potiùs, quòd posteriorum temporum librarii, transcriptores, aut Editores (cùm vel characteres detriti jam essent, vel characterum veterum ipsi minùs essent periti) temerè mutaverint calculum, aliàsque temporum notas suis ex conjecturis substituerint, quod ipsum injuriæ aut inscitiae genus Medii Ævi annales atque Scriptores sæpiùs ab imperitis graphionibus & amanuensibus passos, ipse Pagius, Eckhartus, Hagiographi Antverpienses, aliique frequentissimè adverterunt. Labbeus certè T. II. de Script. Ecc. p. 289 non tam Reginoni, quàm ejus editoribus culpam tribuendam existimat, dum illud à *Germanis suis aliisque deinceps mendoissimè editum* ait.

De eodem Reginonis Chronico notat Suyskenus noster T. V. Sept. p. 540. à n. 30. ad 34 in vita S. Lamberti, quàm malè illud partim truncârit, partim amplificârit Anselmus Leodiensis Sec. XII Scriptor, aut veriùs Anselmi interpolator; qui in vita S. Lamberti ex altera Chapevillii editione apud Martenium T. IV. Collect. Vet. Monum. ea dicta, eòsque parachronismos Reginoni affingit, de quibus in Reginonis editione Argentoratensi nec jota nec vestigium extat.

Quàm erroneè autem *Adalberoni, sive Metensis* (ut ex Sigeberto scripsit Labbeus) sive *Trevirensis* (ut prima Moguntia Editio fecit)

Episcopi nomen fuerit tributum, vel ex eo jam patet, quòd ab anno 883. usque ad an. 930 nemo alius Sedem Trevirensensem tenuerit, quàm *Ratbodus* & *Ruotgerus*. Vid. *Regino & Reginonis Continuator* ad an. 895 & 923 & 28. *Browerus* in *Annal. Trevir. Acta SS. T. VI Julii* p. 175. n. 40. & p. 223 n. 76. in vita *S. Magnerici & S. Glodesindis V. Martene T. I. Collect. Vet. Monum.* col. 268, ubi *Diploma Caroli Calvi Regis* ad an. 916, & *Ruotgeri* sive *Rotgarii Archiep. Trevirensis* nomen subscriptum. *Pagius T. III.* ad an. 918. *Eckhart. T. II.* p. 844 & 855. Ad *Metensem* verò *Episcopatum Adalbero* primùm an. 927 fuit admotus (quando *Regino* jam è vita migravit) ut ipse *Reginonis* continuator affirmat, & ex contemporanei pariter *Flooardi Historia Remensi* colligitur. Alius itaque *Adalbero* non superest, quàm *Episcopus Augustanus*, qui *Reginonis* ætate in *Aula Ludovici Germ. Regis* quàm plurimùm valuit, & juxta *Chronicon breve S. Galli, Hermannum Contractum*, & *Hepidannum* an. 910 è vivis excessit. Vid. *Eckhart. T. II.* p. 828. n. 10. Neque tamen necessarium fuit, ut ipse *Regino* ad *Adalberonem* *Episcopalis Sedis* nomen exprimeret, cùm nemo alius inter *Episcopos* tunc *Adalbero* esset, nisi solus *Augustanus*.

Denique de *Reginonis Chronico* rectè monet *Pagius T. III.* ad an. 898 n. 10, quòd ille quandoque una serie referat ea, quæ diversis annis contingere; id quod in aliis etiam *Historicis* atque *Chronographis* *Eruditi* passim observant. Sed nempe cùm id agerent *historici*, non tam illis animus fuit, ut temporum ordinem perturbarent, quàm ut subinde majoris claritatis & facilioris memoriæ ergò mox integram rei aut eventuum seriem sub uno eodémque conspectu *Lectori* exponerent.

CHRONIC. CHRONICON SIGEBERTI. *Sigebertus*, *Gemblacensis* in *Brabantia* *Monsachus*, præter complura *Opera*, & *vitas Sanctorum* à se vel editas vel illustratas (quæ ipsemet in libro de *Viris Illustribus* cap. ultimo enumerat) *Chronicon* etiam scripsit ab eo tempore, quo *Hieronymiana* ad *Eusebii Chronicon* appendix definit, sive ab an. 382 ad an. 1112. Continuârunt *Sigebertum* 1mò *Anselmus Abbas Gemblacensis* ab an. 1113 ad an. 1136. 2dò *Anonymus* quispiam, quem nonnulli, ut *Labbeus* advertit, *Robertum Abbatem* de monte *S. Michaëlis* perperam credidère, ab an. 1113 ad an. 1155. 3tiò *Robertus* de *Thorignejo*, seu verus *Robertus* de *Monte*, cujus *Chronicon* extat post *Guiberti Novigentini Abbatis* *Opera*, per *Lucam Dacherium Benedictinum* an. 1651 in folio cum pluribus aliis edita *Parisiis*. 4tò *Alius Anonymus* usque ad an. 1210. Sed de postremis tribus *appendicibus* vide lit. *M.* verbò : de *Monte*.

Varia sunt Sigeberti Editiones. *Prima*. Parisina an. 1513. *Alterâ*. Francofordiâ an. 1566 per Simonem Schardium. *Tertia* ibidem an. 1583 per Pistorium T. I. Script. Rer. Germ. *Quarta*. Antverpiensis an. 1608 per Aubertum Miræum, qui Sigeberti Chronicon ad fidem autographi Codicis Gemblacensis collatum, atque à quisquiliis Galfri-di Monumetensis, sive Afaphensis, quæ in omnibus præcedentibus editionibus insperæ legebantur, liberavit, & Verdussianis typis in 4to edidit, unâ cum supradictis Appendicibus. In hac ipsa autem Sigeberti Editione; quæ Autographo consonat, quódque non solus Miræus, sed & Joannes Molanus, Doctor Lovaniensis, se vidisse testatur, nihil de fabulosa Joanna Papissa, nihil de commentitio Hadriani I. privilegio, Carolo M, ut fertur, concesso: ut aded incassum Novatores pro fabulis suis sustentandis ex Sigeberto subsidium quærant. *Quinta*. Parisina an. 1610 Tomo VII. Biblioth. PP. *Sexta*. Francofordiensis an. 1613.

Quænam verò Eruditorum, & verè orthodoxorum, seu Veterum, seu Recentiorum, de Sigeberto judicia sint, Miræus in sua ad Sigebertum præfatione præmisit. Maximam profectò eruditionis ac doctrinæ laudem mereri poterat Sigebertus, nisi sub Schismaticorum signis militasset, & Henricianis partibus adversus Romanos Pontifices Gregorium VII & Paschalem II ad *procacissimam usque*, ut Labbeus ait, *infrunitæ mentis audaciam*, editis etiam, quorum ipse in l. de Viris Illustribus inter Opera sua absque rubore meminit, scriptis publicis adhæsisset. Ait enim l. c. *Validis Patrum argumentis respondi Epistola Hildebrandi Papæ* (aded nimirum nec Pontificio Gregorii nomine Hildebrandum dignatur) *quam scripsit ad Hermannum Metensem Episcopum in potestatis regie calumniam. Scripsi ad ipsum Henricum Apologiam contra eos, qui calumniant Missas conjugatorum Sacerdotum. Ipso etiam rogante respondi Epistola Paschalis Papæ, qui Leodiensem Ecclesiam æquè ut Cameracensem à Roberto Flandrensium Comite jubeat perditum iri.* Verùm cum hæ Sigeberti Epistolæ Satyram potiùs, quàm justam Apologiam præferant, meritò inter damnati nominis scripta sunt repòstæ. Vid. *Miræus* in Præfatione ad Sigeb. *Possevinus* in Appar. Sacro: *Bellarmin.* l. de Script. Eccl. p. m. 314. novissimus *Ind. Rom.* p. 386. Quòd si quis Schismatica, inquit Labbeus l. c. p. 353, Sigeberti opuscula quærat, Schardianas & Goldastinas adeat, similibus libris prægnantes, farragines. Apologiam tamen Sigeberti pro Conjugatorum Sacerdotum Missis jam interiisse existimat Bellarminus l. c. Simul autem dignissimam ait, quæ interièrit, neque lucem deinceps aspiciat, tum magis in Pontificis &

justissimæ Sanctionis Apostolicæ, à Sigeberto malè intellectæ odium, quàm in veritatis affectatæ patrocinium sit exarata.

Quàm devotus præterea Henricianarum partium Sectator, & Romani Pontificis insectator Sigebertus extiterit, jam sola Chronici sui narrata posteriora apertè demonstrant; ubi Schismaticorum Cæsarum ingentia vitia dexterrimè diffimulat, & quidquid ad Henricorum causam vel tuendam vel emolliendam servire videbatur, sollicitè corradit: quidquid verò in Romani Pontificis defensionem indubitato conducere poterat, ipse mala fide diffimulat; etsi quàm plurimi alii Scriptores contemporanei, tam pietate quàm doctrinâ conspicui, neque pauci ex illis testes oculatissimi aut conterranei, longè alia multoque majori testium consensione firmata recenseant; qui proin super illorum temporum Schismate & Romanorum Pontificum gestis non obiter sunt consulendi. Sic v. g. relata Gregorii VII morte fallacissimè subdit: *de hoc ita scriptum reperi, quòd (jam moriturus ac veluti factorum pœnitentiâ ductus Gregorius) dimiserit ac dissolverit vincula omnium bannorum Imperatori & omni populo Christiano, Vivis & Defunctis, Clericis & Laicis: & jusserit suos abire de Domo Deoderici, seu Theodorici (quod est castellum S. Angeli in urbe Romana) & amicos Imperatoris ascendere.* Ast patentissimum hujus qualiscunque scripti mendacium sole clariùs refellit tum Paulus Bernriedensis in vita Gregorii VII (Vid. *Acta SS. T. VI Maji p. 140. cap. X. n. 102. Pag. T. IV Crit. ad an. 1085. n. 7 & 6.*) tum Hugo Flaviniacensis in ejusdem Gregorii vita, Chronico Virdunensi inserta, & post Labbeum T. I. novæ Bibliothecæ Manuscriptorum librorum à pag. 75, etiam à Janningo nostro T. VI. Junii à p. 167 ad pag. 198 ex integro reddita, cap. X. n. 141. & in Annotatis lit. d. p. 197. Ubi adversus hoc scriptum meritò ita exclamat Janningus: *Quale scriptum? Quid Sigeberte, qui vivebas & provecta ætatis eras, quando Gregorius obiit, & historicus & vir ceteroquin multa scientiâ præditus; cur sententiam propriam non protulisti, sed miserabile & inconcinnum adoptasti scriptum, quod ingenii tui acumen reprobasset, nisi amicus Cæsaris usque ad aras fuisset? Quale scriptum? nescio cujus sine nomine Auctoris, qui ex uno Cardinali intellexerit secreta, que vulgat. Unum namque, ait, de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ ceteris ad se vocavit Papa. Cur unum tantum vocavit ex duodecim Cardinalibus, qui aderant, si verè voluit absolvi Imperatorem excommunicatione? Coram omnibus Cardinalibus in publica Synodo excommunicationis sententiam tulerat: oportebat igitur saltem coram pluribus illam revocare, ut constaret revocatam esse; quod sciebat, uni soli, talia dicenti, prudenter credi non posse. Nec magis credi potest, quòd Salerni (non Romæ) existens morti proximus, jusse-*

jusserit suos abire de Domo Theodorici (sive S. Angeli castello Romano, à quo tamen multum aberat Pontifex) & amicos Imperatoris ascendere. Omitto alias falsitatis notas. Ita Janningus. Certè Paulus Bernriedensis l. c. indubitato affirmat, quòd Gregorius, jamjam moriturus, tum Henricum nominatim, tum principales illius asseclas, etiamnum anathematis vinculo constrictos declaravit. Hugo verò l. c. n. 141 in Actis SS. ait, quòd Gregorius, jam ad extrema deductus omnibus Vicariis suis confirmaverit vicem suam potestatemque ligandi & solvendi, ut quos ipse ligaverat, ipsi post CONDIGNAM SATISFACTIONEM absolverent secundum Apostolicæ fidei normam; NON SICUT QUIDAM, SE IPSOS FALLENTES, ERRANTES & ALIOS IN ERROREM TRAHENTES CONFINGUNT, QUOD OMNES EXCOMMUNICATOS INDISCRETE ABSOLVERET, AC SI POSSET VIVIFICARE EOS, QUI NON VIVUNT. Et adhuc luculentius idem Hugo l. c. n. 140, ita inquit: “Sciens ergo imminere diem vocationis suæ, longè antè convocatis Cardinalibus, Episcopis, & ceteris concaptivis, diem obitûs sui prædixit, consummatisque omnibus Ecclesiasticæ institutionis officiis XV. Kal. Junii prædictos fratres sub districti judicii interminatione & sanctæ obedientiæ præcepto constrinxit, ut si qua in se corrigenda deprehendissent, nullatenus tacere præsumerent. Quibus collaudantibus & vitæ conversationem & disciplinam, doctrinæ sanctæ morumque institutionem, & secundum scientiam Sancti Zeli fervorem; compulit eos Apostolicâ auctoritate singulatim sibi dextras dare, promittentes, quòd hereticum illum invasorem Sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ nunquam reciperent; nisi fortè canonicè respiciens, puram confessionem Cardinalibus Episcopis offerret, nudatus omni Ecclesiastici Ordinis dignitate; contestans & affirmans: omnes simul in perpetuum condemnandos, quicumque communicare præsumpissent HENRICO Archipirata usurpatori imperii, nisi deposita dignitate regni secundum præceptum eorum & reliquorum religiosorum in Teutonico regno commorantium condignam pœnitentiam ageret.” Quidnam, amabo, ad putidissimum Schismaticorum vel A catholicorum mendacium, ex obscurissimo Sigeberti Schediasmate aut fatuo quondam rumore progeinitum, penitus prosternendum ac jugulandum, tam istò Hugonis, quàm illò Pauli testimoniò synchronò possit esse validius ac luculentius?

Sed & aliis erratis historicis Sigeberti Chronicon scætet. Sic v. g. S. Cassianum Abbatem à S. Joanne Chryostomo ex Ecclesia Cplitana fuisse ejectum, prorsus erroneè scripsit, prout ostendit Cuperus T. V. Julii p. 476. n. 76. in vitâ ejusdem S. Cassiani. Sic, dum ad A.

1025. Pontificem illum Romanum, qui fratri suo Joanni XIX post obitum tristi habitu apparuerit, Stephanum compellat, duplici aut eriplici omnino errore labitur; non enim Stephanus, sed Benedictus VIII. is fuerat compellendus: neque hic suo fratri Joanni XIX visendum se præbuit, sed Portuensi Episcopo Joanni, prout liquet non solum ex Jotsaldo Monacho in vita S. Odilonis Cluniacensis, sed & ex S. Petro Damiani, tum in vita ejusdem Odilonis, tum in Ep. ad Nicolaum II., quam Baronius in Annal. ad A. 1024 juris publici fecit. Joannes verò Portuensis Episcopus, cui Benedictus apparuit, neque hujus fuit Germanus, neque Pontifex Romanus. Sed neque Joannes XIX Portuensem unquam Ecclesiam rexit: etsi Ciacconius id perperam scripsit. Vid. *Fr. Pag.* in Breviar. Gest. Rom. Pontif. T. II. p. 300. n. 18. & p. 301. n. 2.

Vitas Sanctorum à Sigeberto conscriptas quod attinet, nec illæ fidem ubique authenticam faciunt. Fabulas enim immixtas vel ex sola S. Lamberti Ep. vita jam demonstravit Suyskenus noster T. V. Sept. p. 541. 42. n. 134. ad 37. p. 543. n. 142. p. 599. lit. h. k. o. q. x. p. 601. lit. b. p. 602. lit. aa. p. 617. lit. a. Denique Chronologiam in Sigeberti operibus sæpe spuriam esse, dudum Critici perspexere. Vid. *Lab. T. II. Script. Eccl. p. 332 n. 3. & Pagius T. II. Crit. ad An. 469. n. 6.* qui Sigebertum, *Chronographum plerumque parum accuratum* appellat. Annum verò à Natali Dominico auspicatur Sigebertus in Chronico. Vid. *Pagius T. IV. Crit. ad A. 1070. n. VI.*

CHRONIC. CHRONICON S. VINCENTII, seu Monasterii ad Vulturini fontes positi. S. VINCENTII, Conscripsum illud est à Joanne, ibidem Monacho, A. 1108, & nil ferme præter illius Monasterii historiam continet, ut testatur Baronius T. XII. ad A. 1108. n. 3. Meminit pariter hujus Chronici *Pagius T. III. ad A. 773. n. 2. A. 875. n. 1. A. 897. n. 7.* Quæpiam illius excerpta edidit *Du-Chesnius T. III. Script. Franc. à p. 672.* Integrum verò dedit *Muratorius T. I. Script. Ital. P. I. à p. 319.* Chronographum hunc in annorum computis sapiens à vero deflectere, *Du-Chesnius l. c. p. 691* in margine rectè monuit, ut inquit *Pagius T. III ad an. 897. n. 7. Cuperus noster T. IV. Julii p. 646* in Comment. prævio ad Acta S. Ambrosii Autperti n. 3. & 4. Chronographum hunc Vincentinum omnino *Chronologia imperitum* fuisse ostendit; unde cum res vel tempora perturbârît, etiam Diplomata, quæ Chronico suo ille inferuit, de falsitate non parùm suspecta redduntur, ut advertunt *Du-Chesnius, Mabillonius, atque Cuperus l. c.*

CHRONICON VIRDUNENSE, sive HUGONIS FLAVINIACENSIS. De hoc CHRONIC. Gravefonijs P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 244: Hugo, qui ex Monacho VIRDUNENSE. (S. Vituni) Virdunensi Flaviniacensis in Burgundia Ducatu Abbas (anno NENSE. MXCVII IX Kal. Dec.) creatus, scripsit Chronicon Virdunense, duas in partes distributum, quarum prima incipit à Christo nato, & desinit ad an. 1002, secunda ab an. 1002 perducitur ad annum 1102, Hoc Chronicon tanti fecit Labbeus, ut illud THESAURUM INCOMPARABLEM appellârit, & ex ipso Authoris autographo, in Bibliotheca Societatis JESU Claromontana Parisiis asservato ediderit in sua Bibliotheca nova MSS. Tomo I. p. 75. an. 1657. Vid. etiam Acta SS. T. VI. Junii p. 166. n. 2. Labb. T. II. Script. Eccl. p. 127. verbô: Odilo.

Attamen licet hic Auctor in plerisque sincerum se præbeat, & apud Recentiores Scriptores testimonium ejus frequenter occurrat (Vid. Pagius T. III ad an. 774. n. 6. an. 776. n. 2. & 15. T. IV. ad an. 1084. n. 3. 8. an. 1085. n. 4. Nat. Alex. T. VI. ad Sec. XI. Dissert. II. de Greg. VII Art. XII p. 709 & Art. XI p. 706. col. 2. Janningus T. VI. Junii à p. 167.) satis tamen iniquum, & sive calumniandi sive veriùs præcipitis credulitatis humanique affectûs æstu abreptum se ostendit in iis, quæ contra B. Victoris III Romani Pontificis famam integerrimam temerè scribillavit in gratiam Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, Gentilis scilicet atque conterranei sui, qui immoderato Pontificatûs desiderio ægrè tulerat electionem Victoris, ejusque consecrationem, ut videre est in ejus Epistola T. X. Concil. p. 414, quâ nempe conviciis impetit Sanctissimum Pontificem. Ita verò inter alia de Victoris III obitu scribit Hugo Flaviniacensis: *Hic (Victor) consecratus ab Ostiensi Episcopo, cum Missas apud S. Petrum diceret, infra Actionem judicîo DEI percussus est: & quamvis tardè cognoscens, se errasse, se ipse deposuit: & accitis fratribus de Monte Casino, qui secum aderant, præcepit, se illò deferri, & in Capitulo non ut Papam, sed ut Abbatem sepeliri.* Ast rei hujus falsitatem atque imposturam liquidò ex Auctoribus Synchronis confutârunt Urbanus Stickerus noster T. V. Sept. in vita B. Victoris III §. 2. Comment. præv. n. 21. 22. 23. Papebrochius in Propyl. Maji de Victore III. Pagius T. IV. Crit. ad an. 1087 n. 6. & 7. Mabillonius in Actis SS. O. S. B. Sec. VI. P. II. Nat. Alex. T. VI. ad Sec. XI. Art. XII de Victore III p. 429. col. 2. Graves. P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 103. Prosper Lambertinus l. I. c. 41. n. 24 de Serv. DEI beatific. & beatificatorum Canonizatione & ex eo Sandinus in Vita Vict. III. n. 6.

Neque aliis omnino erroribus hoc Chronicon vacat: ut cum scribit P. I., Ottonis II. Imp. cadaver Româ Aquisgranum fuisse translatum, ibique sepultum; nam Romæ illud terræ mandatum, è coævis Scri-

Scriptoribus constat. Unde Ottonem II cum III confudit Hugo; hujus enim, ut ipse moriturus petierat, ex Italia corpus in Germaniam atque Aquisgranum fuisse deportatum, Synchroni Auctores testantur. Vitiosos etiam huic Chronico calculos subinde inesse, notavit Suyskenus noster T. III Sept. p. 335. n. 34. in Com. præv. ad Acta SS. Dorothei & Gregorii MM.

CICARELLUS.

CICARELLUS Alphonsus, Seculi XVI Medicus & Historicus Spoletinus, plurimum Scriptorum, quæ Viris doctis affinxerat, figulus fuit & architectus. Sic v. g. tres Homilias Sancti Dominici de gratia DEI & totidem de ineffabili Trinitate penes se esse mentiebatur, prout Cuperus T. I. Aug. in Comment. præv. ad Acta S. Dominici §. 45 n. 848: item p. 523. lit. e. breviter indicavit. Certè Leo Allatius fraudulentum hunc hominem integro opusculo depinxit, ut Nicolaus Antonius, Sec. XVIII Scriptor Hispanus, in veteri Bibliotheca Hispanica l. 8. c. 7. testatur, ubi Tomo II p. 69. n. 289 mendax ille Cicarellus ab eo propter hunc dolum impostorum coryphæus appellatur. Vid. Cuperus in Dissertatione de Guzmanna S. Dominici stirpe, edita Antverpiæ an. 1740. §. IV. p. 35. n. 58. Ejusdem criminis arguitur Cicarellus à Struvio in libello de doctis Impostoribus, ut ait Menkenius in Lex. Erud. qui simul addit, quòd Cicarellus ob imposturas suas Gregorii XIII jussu in carcerem abstractus, manu primò truncatus, dein in furcam actus, denique flammis fuerit absumptus.

CIGALA MATTHÆUS.

CIGALA MATTHÆUS, Scriptor Græcus & Seculi XVII Auctor (cujus etiam meminit Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 349 v. Georgius Scholarius n. VII) catalogum scripsit Patriarcharum CP. usque ad Neophytum, qui an. 1636 ex Episcopo Heracleensi creatus est Patriarcha CP. Hujus verò Cigala, uti & Philippi Cyprii in Patriarcharum CP. recensione quàm modica sit auctoritas, imò quanta illorum etiam in domesticis suæ Patriæ rebus inscitia & in enormes Parachronismos prolapsio, docet Cuperus T. I. Aug. in Hist. Chronolog. Patriarch. CP. p. 4. n. 18, ac præcipuè p. 195 n. 1177. 1178: item p. 176. n. 1064. p. 201. n. 1215. 1216. Paginâ verò 168. n. 1010 ait Cuperus: “ Non satis capio, quomodo hi duo Scriptores potuerint esse tam ignari historiæ patriæ, ut hunc Josephum (I) Patriarcham confuderint cum altero Josepho, ultra sesqui Seculum juniore, qui ad Synodum Florentiam venit, & an. Christi 1439 Florentiæ obiit. Quomodo etiam Imperatorem Andronicum, sub quo hic Josephus Senior in Sedem CPlitanam restitutus est, confundere potuerunt
“ cum

“ cum Joanne Palæologo Imperatore , qui circa medium Sæculi XV
 “ è vivis excessit ? Sanè hinc liquet , Græculos illos Schismaticos ,
 “ qui in oppugnanda Ecclesiæ Romanæ historia acutum cernere se pu-
 “ tant , in historicis patriæ suæ rebus cœcutire , ac domi talpas esse ,
 “ dum interim foris lynces videri volunt , ut non semel Leo Allatius
 “ huiusmodi popularibus suis meritò exprobravit. Nihilominus variis
 in locis , ubi videlicet nihil in contrarium obstat , utriusque huius
 Scriptoris testimoniis utitur Cuperus Tomo cit. v. g. p. 196. n.
 1186 p. 199. n. 1203. p. 221. n. 1328. p. 239. n. 1437 & seqq. Chronicon Phil.
 Cyprii inter prohibita recensuit novissimus Ind. Rom. p. 92. verbò: *Chron.*

CINNAMUS JOANNES , Grammaticus , sive Notarius ac Secretarius CINNAMUS
JOANNES.
 Manuelis Imperatoris (cujus comes fuerat in expeditionibus bellicis) floruit
 Seculo XII, & post Alexiadum libros, ab Anna Comnena conscriptos,
 ipse pariter adornavit Historiam, in sex libros distinctam, & ab
 excessu Alexii Comneni Imp. (Annæ Parentis) narrationem exorsus,
 res quidem à Joanne Imperatore, Alexii filio & Annæ germano, gestas
 non nisi succinctè descripsit, prolixius verò in Manuelis, Joannis filii,
 regimine calamum suum diffudit (ut ipse testatur l. 1. c. 1.) neque
 tamen usque ad Manuelis obitum hoc Opus pertingit; unde incertum,
 an laborem suum penitus absolverit Cinnamus, an verò mutilus solum
 ad nos pervenerit. Eam Historiam Cornelius Tollius Ultrajectensis post
 Baronii mortem Trajectensibus typis an. MDCLII in lucem protulit,
 & post aliquot annos Du-Cangius sive Du-Fresnius typis Regiis denuo
 publicavit, uterque verò eam Notis illustravit. De Cinnamo plura
 Allatius in Diatriba de Simeonum scriptis p. 150. & ejus interpretes citati.
 Hæc ferme Pagius T. IV ad an. 1177. n. XXIII. Atque illa ipsa Editio
 Du-Cangiana, utpote melior, hodie pariter inserta legitur Tomo XI
 Historiæ Byzantinæ, quæ prelo Veneto data, XXV Tomos complectitur.
 Corrigit autem subinde Tollium Du-Cangius, & Græcum Cinnami textum
 emendatiùs vertit.

Duo verò potissimùm sunt, quæ in Historia Cinnami (alioquin non parùm
 ab Eruditis æstimata, ut videre est apud Auctores citatos, item in
Actis SS. T. I. Aug. in Hist. Chronolog. p. 133. n. 791. p. 139. n. 832. 33. p. 134. 136. n. 797. 809. &c.) Critici observarunt. *Primum*,
 quòd parùm æquus fuerit in Romanos Pontifices, Imperatores Germanicos,
 atque adedò in Latinos omnes, ex innato videlicet Græcanicis ingeniis
 in illos odio; quod ceteris etiam Scriptoribus Byzantinis familiare.
 Vid. Pagius l. c. Cuperus verò T. I. Aug. l. c. p. 34. n. 800 de nimio etiam
 in Patriarchas suos studio Cinnamum notat, ut cum Cosmam II,
 Niphonis hæretici familiarem atque fautorem, &

insuper de Bogomilorum hæresi suspectum, in plurium Episcoporum Synodo eapropter exauctoratum, ipse frivola ex causa, sive ineruditæ Viri simplicitatis prætextu perperam conatus est excusare. Secundum, quòd in iis, quæ extra Imperium Græcum v. g. in Italia, & Hungaria contigère, non rarò Cinnami narratio fallat: imò & in patriis, locòve vicinioribus rebus quandoque à vero recedat. Vid. Cangius in Notis: Pagius T. IV. Crit. ad an. 1121. n. 7. an. 1123. n. 17. Attamen hunc Cinnamum præ ceteris aliis Scriptoribus Græcis *Auctorem elegantem* non immeritò vocant Leo Allatius l. c. & Gerardus Vossius l. IV de Historicis Græcis c. 19. Vid. *Græves*. P. I, T. IV. Colloq. V. p. m. 239. col. 1.

CLERICUS JOANNES. CLERICUS JOANNES, natione Allobrox, patriâ Genevensis, mansionem Amstelodamensis, Seculi XVII & XVIII Scriptor, vivere simul & furere desiit anno 1736. Quo in pretio aut verius quanta in damnatione habendus sit, testantur ejus Opera, quorum Catalogum satis prolixum Iselinus Basileensis in suo Lexico dedit. Licet enim hic ipse Excellentissimi nostra ætate Scriptoris præconiò Clericum exornare non erubuerit, multò tamen rectiùs atque apertiùs sentiunt, quibus Cordi est veritas, & penitior antiquitatum Patrùmque cognitio. Certè hi Clericum descripsère ut *larvatum Criticum, Aristarchum audacem, Scriptorem superbum & furiosum, calumniatorem impudentissimum, pueriliter dicacem, tantà arrogantia turgidum, ut omnes SS PP. præ se contemnat, adeò simul ineptientem, ac si prima Dialecticæ principia nunquam audivisset, Sacramque Scripturam vidisset nunquam: hominem denique, qui verba flammis digna eructet, & S. Augustinum ut histrionem, ut Comædum, ut dolis impiis usum ad lucra sibi comparanda, ut Auctorem sacrilegæ fabulæ traducere non perhorrescit: dum interim ipse Clericus tam miseris argumentis Sanctos PP. Augustinum, Ambrosium, aliòsque, & relata ab iisdem miracula oppugnat, ut quilibet homo rusticus & agrestis talia proferre possit, modò non careat malignà calumniandi audacià & iuauitã Clerici impudentiã. Vid. Cuperus T. VI. Aug. p. 231. n. 101. p. 214. à n. 5. ad 12. item à p. 242 ad p. 245 per totum §. XII in Comment. præv. ad Acta S. Augustini: Stillingus T. VI. Sept. à p. 854 n. 423 usque ad p. 857 n. 435. Lamindus Pritanius sive Muratorius in ingeniorum moderatione in religionis negotio l. 3. c. 11. Denique P. Josephus Zwingerus noster in Apologia pro D. Hieronymo adversus Joannem Clericum, Friburgi Brisgojæ edita an. 1752, in qua præter alia complura jam in sola Sectione prima à p. 9. solidè prolixèque ostenditur imò quòd Clericus sit famosus calumniator natus majorum & Patrum Sanctorum omnium.*

nium. 2dò quòd sit homo velut exterus, Socinianus, apud tribunal Christianum non audiendus. 3tiò quòd sit homo infidelis & incertæ, vel nullius omnino religionis. Adde, quæ suprà ad lit. A, sive ad S. Augustini Opera de portentoso isthoc Scriptore & librorum adulteratore Clerico ex ipsomet Casimiro Oudino Apostata jam animadvertimus. Omnia itaque hujus Clerici Opera meritò ex Orthodoxa Republica sunt eliminanda. Vid. noviss. Ind. Rom. p. 193. 213. 220. 223.

COINTIUS Carolus, Trecentis Gallus & Congreg. Oratorii Presbyter COINTIUS
Annales Ecclesiasticos Francorum ab anno Æræ Christianæ 235 usque ad CAROLUS.
 845 octo Tomis in folio est complexus. Obiit Parisiis Anno ætatis 70,
 Christi 1681 18 Januarii, priusquam Tomum VIII jam sub prelo fundantem ad coronidem perduceret; unde manum ultimam addidit Gerardus Du Bois ejusdem Congregationis Alumnus. Ait de hoc Cointio Papebrochius T. VII Maji in Paralip. p. 62. n. 3. col. 2. *Ipse Carolus in Henscheniano Opere (sive in Actis SS.) perquam diligenter versatus, ex eoque multa in rem suam solitus trahere, tacito licet authore, nisi cum refutare eum intendit. Quòd autem Cointius Henschenium & Papebrochium velut ex destinato passim oppugnare consueverit (ut ut plerumque minùs feliciter, id quod ex Actis Sanctorum lectori constabit) ipse advertit Henschenius T. VII Maji in Exegesi Prælim. c. IV. n. 25 ad finem. Dein T. I. Junii p. 489 n. 5. 6. 7. 8. idem Papebrochius notat, quòd Cointii auctoritas neutiquam tanta sit, ut illi mox debeat acquiesci: simulque addit, quòd Cointius sit omnium nationum, præter suam, sugillator, & Henschenii passim exscriptor, licet illius nomen taceat. Ceterum etsi Cointius Vir fuerit perquam industrius, & ejus Annales ad Historiam Ecclesiasticam multum utique serviant: plurimi tamen nec leves semper (ut in Scriptionibus amplioribus non rarò contingere solet) in re historica aut Chronologica lapsus apud eundem occurrunt, & crebrò refutantur tum in Antverpiensibus Actis SS. tum in in Pagii Critica Baroniana v. g. T. III Crit. ad an. 742. n. 22 & 23.*

COMNENA Anna, Alexii Comneni Imperatoris & Irenes filia, Ni- COMNENA
 cephorii Bryennii uxor & Imperatrix, gesta Patris sui in XV libros ANNA.
 congeffit, quos idcirco *Alexiados* nomine insignivit. Prodierunt illi
 Græco-latinè cum notis Heschelii & Possini Parisiis an. 1651: dein
 cum notis historicis & philologicis Caroli Du Cangii Parisiis an. 1670.
 demum T. XI *Historiæ Byzantinæ* Edit. Venetæ. Ait verò Gretserus
 T. XV Operum tum in Indice, verbò: *Anna*: tum in Animadversione

XI de Ecclesiâ Latinâ, pro Unione Græcorum, sollicitudine perpetua p. 517, quod Anna Comnena, *vel potius Schismaticus aliquis ejus nomine abutens*, imperitè ac mendaciter scribat L. I. Alex. Primum Hierarchiæ Ecclesiasticæ pendere ab Imperatoris arbitrio & novæ Romæ sive Cpleos Majestate & amplitudine: Concilium item Chalcedonense Episcopo Cplitano Primum & omnes orbis totius Diceceses subjecisse. Dein idem Gretserus l. 2. contra Replicatorem c. 19. ita in Annam commentatur: “ Annam paulò pluris æstimamus (quàm
 “ Aventinum aut Illyricum) cui quanta fuerit mentiendi facultas,
 “ docet ejus Alexias nuper græcè publicata, de cujus dubia & suspecta
 “ fide editor ipse, statim in limine, luculentum testimonium dedit.
 “ Et lectio ipsa docet, quot falsis narrationibus & pseudologiis liber
 “ ille refertus sit, præsertim ubi de Latinorum rebus & Gregorii VII
 “ Robertique Guiscardi sermo; quod ostendimus etiam in brevicula
 “ Apologia pro Gregorio VII contra Annæ hujus Alogiam. Nec ul-
 “ lus mortalium unquam extitit, qui quæ Anna à Gregorio in Lega-
 “ tos (Henrici) perpetrata scribit, memoriæ prodiderit (v. g. quod
 “ Gregorii jussu non modò barbibus & capitibus rasi, sed & in Eunu-
 “ chorum ordinem fuerint redacti) Nimirum quæ Latini interdum,
 “ ludibrii gratiâ, in Græcos bello captos per licentiam militarem pa-
 “ trabant; de quo extat memorabile simul & ridiculum exemplum
 “ apud Luitpandum l. IV c. IV. quod Græci hujusmodi Eunuchos, &
 “ ut vocitabant, *Carfariatia*, de quibus lege eundem Luitprandum
 “ l. VI c. III, in deliciis haberent, eosque Græcis venderent, ideo
 “ Anna hoc contumeliæ genus legatis Henrici illatum finxit, sine ul-
 “ lo ullius præterea Historici testimonio: fabulâ ex folis trivialibus
 “ Schismaticorum circulis hausta. Quanquam Alexiadis Editor aliam
 “ itidem figmenti hujus originem non improbabiler indicat, de quâ
 “ dixi jam in Apologia pro Gregorio VII contra Annam. Ita Gret-
 “ serus, qui paulò post in eodem Cap. XIX contra Replicatorem ex
 “ membranaceo Viennensi chirographo quasdam Henrici literas, eadem
 “ de legatis malè acceptis querimoniâ graves atque ad Clerum Popu-
 “ lûmque Romanum datas, adducit, indèque multò verosimiliorem
 “ totius consutæ fabulæ, atque in Orientem usque volitantis originem
 “ eruit.

Spiritu porro Schismatico non leviter Annam fuisse afflatam, hæc
 ejus verba demonstrant: *Hæc SUMMUS PONTIFEX (Gregorius VII)*
 & *in orbem Terrarum universum UNIVERSALIS CHRISTI VICARIUS*
fecit; nam eos illi titulos Latini sui tribuunt; in his quoque pro cetera insolentia sua mentientes. Translatis enim è vetere Roma Sceptris in nostram urbem
regiam

regiam (CPlitanam) Pontificatûs quoque Primaria dignitas illic defecit: Ecclesiæque Primatus, jam olim à Principibus, qui hic regnârunt, CPlitano adjudicatus Throno est. En! quot propè verba, tot falsitates.

Quantum dein adversus Præfules & Sacerdotes Latinos, qui Sacris Expeditionibus aderant, velut adversus truculentum & sanguinarium hominum genus, Anna bacchetur, libro X Alexiados luculentissimum fecit: At, inquit, Barbarus Latinus, simul atque initiatus sacris, primitias Sacrificii libaverit, Clypeo statim in levam inserto, correpta in dexteram, vibratæque lanceâ, simul divinum communicat corpus & sanguinem, simul torvum ac sanguinarium tuetur, designans ad eadem homines oculis Vir Sanguinum. Adeò barbarum hoc genus non minùs sibi belli ac gladii jus usumque arrogat, quàm Sacerdotii apicem deposcit. Plurimum itaque contra genuinas Historiæ sive veritatis leges exorbitavit Anna, quantumvis unius veritatis studium sibi pro regula statuisse, ipsa jactantiùs quàm veriùs palàm contestetur. Nam in Operis sui (aliàs exquisiti elegantissimique atque à Criticis non parùm dilaudati) præfatione magnificè profitetur, se cum veritatis damno nullatenus domesticæ ac privatæ gloriæ servituram, sed Historici functuram officio: quod favore pariter atque odio interdicit ei, qui res gestas ad memoriam scribendas suscipit, jubetque ex æquo vituperationes & laudes in eos, qui merentur, dispensare, nullo amicitiae necessitudinisve, hostilitatis simultatisve discrimine. Quibus tamen verborum ampullis quàm parùm Annæ facta responderint, ipsa hujus Alexias docet, ut antè intelleximus. Confer. Cretserus l. c. Nat. Alex. T. VI. Hist. Eccles. ad Sec. XII. Cap. VI. Art. V. p. 517. col. 1. n. 3. & Dissert. II p. 710. col. 2. n. 2. Graves. P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 240. col. 1. Du Cangius in notis ad Comnenam: Cuperus T. I. Aug. in Hist. Chronol. p. 128. n. 761. qui ita habet: nihil quemquam moveat, quòd hic Patriarcha CPlitanus (Joannes Xiphilinus) ab Anna Comnena vocetur SANCTISSIMUS, cum interim sepiùs narrata soluti (à Xiphilino) juramenti historia sanctitatem ipsius minimè commendet; nam mulier illa Schismatica & Latinis infensissima Romanum Pontificem ejusque Subditos contemnere, & Schismaticos suos laudare consuevit. Quare non immeritò eos, quos ipsa laudibus exornat, insectos putamus Schismate, quòd Alexius Comnenus, Pater illius, nunquam serio tollere voluit, quamvis astutus ille Princeps pro rerum necessitate interdum amicitiam cum Romanis Pontificibus simularet (Vid. etiam Leo Allat. l. 2. de Consensu utriusque Eccl. c. 16. n. 2. ante finem: p. m. 801 ex Choniata l. 3. c. 9) unde etiam nonnulli Critici observârunt, Annam Comnenam in Alexiade sua nimis amori erga Patrem indulgisse, & potiùs panegy-

rin parentis sui quàm Historiam scripssisse. Et p. 129. n. 767. loc. cit. advertit Cuperus, quòd Anna ignominiosam Patris sui avaritiam cautè fileat.

CONRADUS.

CONRADUS Urspergensis. Vid. *Chronicon Conradi*.

CONRINGIUS.

CONRINGIUS Hermannus, natione Frisius, & prioris Seculi Polyhistor Protestanticus, ingeniò quidem vastus & felix, sed & calamò ferox, neque vulgariter audax, complura edidit opuscula, quibus non modicum, inter suos præcipuè, sibi peperit nomen, neque paucos calami sui adoratores invenit. Hos inter non ultimus fuit Joannes Wilhelmus Goëbelius, qui Conringii Scripta, sparsim antehac edita, in unum Corpus collegit, & sex integros horum Operum Tomos recentiori prelo mandavit, ita tamen, ut non exiguam horum Voluminum partem tum aliorum quoque non disparis farinae Scriptorum lucubrations intrusæ, tum ipsiusmet Goëbelii notæ copiosissimæ constituerent; quibus videlicet hic Scholiastes Conringium suum non tam ornavit quàm oneravit, neque tam illius errata emendavit, quàm auxit. Quòd si quis singulos Conringii partus attentius exploraverit, informes illos sæpe sæpiùs deprehendet, mirabiturque, quâ fronte neotericus hic Literator in omnis ferme generis argumenta defultorium calamum suum ingerere, & in singula propemodum literatorum fora pedem inferre sit ausus, leviter ut plurimum tinctus, & non rarò sciolus magis, quàm sciens: imò & Zoilus mordax, Historicus mendax, calumniator atrocissimus, præcipuè ubi de rebus Orthodoxis aut Pontificiis agit. Neque melius quidquam Goëbelius agere potuit, quàm ut in Conringii Opera locupletissimum Indicem, & cum Indice ferocientem Conringii animum nobis coràm exponeret; hoc etenim visò quivis lector Orthodoxus sibi dictum putabit: *Hunc tu Romane caveto*. Itaque ut aliorum errorum, falsitatum, ac conviciorum, quibus infarta sunt Conringii Opera, sentinam tacitus præteream, pauculas ex quolibet Tomo propositiones huc adduco. T. VI. *Arrogantia Pontificum, sive Vice-Deatus & tyrannis notatur*. pag. 121. 162. 365. 373. 379. 381. 396. 465. 483. 498. 563. 567. 574. 582. 588. 606. 617. 636, ubi sic Conringius: *Omnino tamen & ipsemet arbitror, schemate scorti Babilonici Curiam Romanam Hildebrandinam significari; quod ipsum publicè etiam professus sum libro de Germanorum Imperio p. 94. Quamquam verò hæc interpretatio vehementer acuat odium & detestationem Curie illius, affectui tamen erga Ecclesiam, tyrannide illius Curie pressam, nihil officit. Ergò juxta Conringium Imperator Romanorum, Reges Galliarum, Hispaniarum, Hungariarum, Bohemiarum &c, ceterique Duces & Principes orthodoxi,*

thodoxi, in Pontifice Romano scortum babylonicum venerantur! Et hæc scribere in Germaniæ facie tolerati dogmatis homo, imò etiam nostra ætate, Anno MDCCXXX, pejus adhuc recudere Goëbelius!

T. V. Pontificis arrogantia & potestas. p. 665. Argumenta ambitionis Pontificia. p. 614. 602. DEI-Vicariatum etiam ad inferos usque extendunt, imò inde in Cælum extendunt Papa p. 616. Pedum osculatio; hinc DEUS appellatus. p. 617. Pontificem nemo ut Vicarium DEI admittere potest, nisi in promptu sint documenta divini placiti. p. 641. T. IV. Pontificis Monarchia oppugnatur ex antiquitate, ex principiis naturâ notis. p. 367. Pontificatus cum Caliphatu Muhammedis comparatur. p. 449 & 468. cum Imperatore Turcarum p. 458. Vice DEUM se venditans Pontifex, literis creditivis destitutus merito rejicitur. p. 186. tenetur personam suam legitimare, quòd sit Successor Petri. p. 378. Plura de eo dogmata juri naturali adversantur. p. 636. Superstitionem induxit. p. 610. semper intentus fuit litium numero augendo. p. 699 & 704. Et p. 378 ita mentitur, aut delirat Conringius: habemus Epistolam, quâ Papa Turcarum Imperatori persuadere conatus est, se ipsi, si agnosceret se Vice-DEUM, jus esse daturum in omnes terras, quas vi occupasset. . . . Et: Papa non homo, nec DEUS, sed medium. . . . modos habet varios extrahendi animas ex purgatorio. Habet numismata, que consecrantur ab eo, & sub his tota condita est doctrina Indulgentiarum. Papa debuissent etiam miracula facere (ut scilicet probarent, se esse Successores Petri & Vicarios DEI) At illi confugiunt ad Capucinos. Sed quid inde? dicunt, se posse asinos resuscitare; sed si unum resuscitent in documentum, Papam credam Vice-DEUM esse; sed hætenus in Germania id non fecerunt. Videmus igitur, quanta sit vis superstitionis, & quantum nostri majores passi sibi sint per aliquot Secula imponi. Quod nos pro fabulis habemus, crediderunt fato divino. Multi in Pontificia Ecclesia talia dogmata Curie Romanæ non admittunt, & tamen satis fraternè inter se vivunt. Sed hoc videtur mihi iniquissimum, nec potest sic concordia Ecclesiastica institui; quod ostendi cap. 2. libri de concussionem fundam. religionis Pontificiæ. Dico eos salva conscientia non posse communicare cum Papa, sed teneri ipsi anathema dicere. Confer præfationem libri de Elect. Alexandri VII: Peccatum mortale est, Communionem Ecclesiasticam cum Papa colere, si noveris eum esse mentitum Vice-Deatum. Non est hæc questio problematica, de qua credere possis, quod velis. En! quàm absonè Midas hic Protestanticus rudat, & pro Pontificio Vice-Deatu ex ipsis asinis miracula quærat!

T. III. Pontifices fulminibus suis Respublicas turbârunt. p. 1014. Regiones Italiæ variis fraudibus extorserunt. p. 1071. Sub prætextu pietatis dominium affectârunt. p. 1006. Cur revera in illas regiones, quas possident, dominium eminens non obtineant. p. 1010. T. II. Si doctrina de Pontifice sit vera, quòd solus in

Clerum habeat Imperium, de Majestate omnium rerum publicarum actum erit. p. 212. Nullo jure sibi Monarchiam circa sacra vendicat: quin hæc ab illo venditata, convellit religionem naturalem. p. 35. 37. Quod ejus jugum Germania subièrit, id factum per ignorantiam & vindictam divinam. p. 745. 746. Decretis etiam Impiis parendum volunt Doctores Juris Canonici p. 561. 562. Multa fraudulenter supposuit Pontifex, & in usum suam confinxit. p. 573. Ex Spiritu meretricio in ambitiosum delapsi Pontifices. p. 376. Pontificis Principatus Secularis comparatur cum Regno Mamulaccorum in Ægypto. p. 1060. Libri de ejus Monarchia in Republica Germanica essent comburendi. p. 898. Utinam Conringii libris hoc fatum eveniat, piram centies millièsque promeritis! ut vel sic Scriptoris hujus, simul & Scholiastis sui impudentia, saltem inter flammæ luculentior fiat.

Tomo denique Imo p. 113, ubi de origine potestatis Secularis in Ecclesia Romana agitur, omnes sanè eloquentiæ & proterviæ nervos intendit, ut in Pontifices & Romanam curiam graphicè atque thrafonicè integram conviciorum & mendaciorum hecatomben exoneret. Atque hæc pauca ex multis sufficient, ut Lector orthodoxus Conringium coloribus suis adumbret. Plura insuper dabit P. Schwarz in Colleg. Hist. ac præcipuè P. III. Miseranda profectò Religio, quæ tales multoties Polyhistores & spurios sui vindices profert, qui dogmati suo pessimè consultum existimant, nisi adversus Romanam Ecclesiam fabulas ex Utopia, mendacia ex Creta, furias ex Erebo advocent, haud secus, atque si debitum Charonti naulum rite aliquando se persoluturos desperent, nisi priùs in terris cum Cerbero latrassent! Optandum, ut malè feriata Conringii Volumina universa, uti & Goëbeliani Scholiastis glossemata (quibus Eruditior Respublica Sacra atque profana, nullo dispendio, carere poterit) ex Urbe & Orbe Catholico exterminentur. Vid. Ind. Rom. noviss. p. 179.

COPPEN- COPPENSTEIN. Vide *Alanus*.

CRANZIUS CRANZIUS. Vide *Kranzius*.

CRUSIUS CRUSIUS MARTINUS, heterodoxus, Hebraicæ Græcæq; linguæ in Schola MARTINUS Tubingana Professor, scripsit *Annales Sueviæ, Turco-Græciam, Germano-Græciam* &c. obiitque Tubingæ an. 1607. 25. Febr. Rectè illum *fabulatoris* nomine compellavit Papebrochius T. III April ad diem XXX in vita S. Hildegardis Reginæ p. 792. 793. n. 20 & p. 795 lit. c. & f. nam inter alia fingit Crusius, quod Urbanus Pontifex cum 350 Cardinalibus, Episcopis & Abbatibus Campidonam venerit. De ejusdem

dem Scriptoris mala fide atque mendaciis agit Gretserus T. XIII novæ Editionis à p. 530 : Annales verò Suevicos sive Crusianos Gretserus potiùs vocat *Volusianos* l. 2. contra Repl. c. 19. Possevinus in Bibliotheca Selecta de ratione Studiorum T. II. Lib. XVI cap. XXI de Historicis, ita inquit : “ Martinus Crusius, Germanus, Turco-Græcia libros octo edidit Anno 1594 Basileæ, quibus Græcorum Status sub Imperio Turcico, in Politia & Ecclesia, Oeconomia & Scholis, jam inde ab amissa CPoli ad hæc usque tempora describitur. At plura in iis libris octo contra fidem & pietatem ac bonos mores inveniuntur; cùm etiam pleraque inserta sint, quibus Lutherana & reliquæ hæreses everti possunt. Certè Martinus Crusius, ut in Tubingensi Schola Professor fuit latinæ & græcæ linguæ ac inter hæreticos hæreticus vixit, voluerit verò haberi eruditus & rerum Orientalium sciens, satis habuit, si qualiacunque potiùs ex hæreticis, Schismaticisque congereret, atque in lucem ederet, admiscens interdum Catholicos Auctores, è quibus errores ipsi hæreticorum evincuntur; præterquam quòd ubi secundo præsertim libro quædam è Græco in latinum convertit, vel ad personas Sanctissimæ Trinitatis, vel ad alia mysteria Christianæ Religionis spectantia, turpiter labitur: quippe neque solidæ Theologiæ terminos & proprias dictiones intelligens, & hosce ineptè atque erroneè vertens, mirum non est, si à Clemente VIII Pontif. Max. proscriptus est in Romano Indice, donèc expurgetur.

Idem Possevinus T. II Apparatus Sacri p. 403 hæc de Crusio habet: *Martinus Crusius hic ponitur, non ut legatur (prohibitus est enim in Romano Indice) sed ut agnita ejus fraude atque imperitia tantò magis declinetur & caveatur. Sic enim S. Hieronymus in Catalogo & alii Patres in suis Scriptis ejusmodi hominum meminerunt, quos deinceps expenderunt, ac refellerunt. Accedit, quòd Crusius iste, licèt justissimè ab Ecclesia proscriptus sit, fucum tamen plerisque adhuc facit, qui ejus librorum, quos Turco-Græciam inscripsit, nova specie allekti, dum putant se historias lecturos, hæreses & sexcentas (ne dicam sex mille) errorum quisquillas colligunt, ac plerumque incautè hauriunt. . . . Adhuc sciendum est, eos, qui ex Oriente librum illum (Gennadii Scholarii Patr. CPolitani) ad Crusium miserunt (unde à Crusio dein in suam Turco-Græciam hic liber pariter fuit translatus) erasisse ex eo libro quædam, in quibus de Spiritûs Sancti Processione à Patre & filio disertè Gennadius scripserat; quippe librum alterum eo de argumento ab ipso habemus, veritatem hanc liquido propugnante, ac per omnia planè cum Latinis consentiente. Pergit dein Possevinus p. 403. 404. 405. plura Crusii excerpta referre, è*

170 CRUSIUS MARTINUS & CUROPALATES.

quibus tum doli, tum inscitia, & Græca germani hominis, seu mala fides mox propalam fiunt.

Pluribus hujus Crusii Artes & machinas, quibus & qua occasione Græcos ille ad sua signa pertrahere & Lutheranis erroribus inficere pertentaverit, describit *Schelestratius* in Actis Ecclesiæ Orientalis contra Lutheranos P. I. Dissertatione præviâ II. Cap. I. à p. m. 75. n. 8. ad p. 82. item à p. 90 ad 100. è quibus omnibus manifestum fit, quàm malis avibus meditata cum Græcis unionis negotium susceperit Crusius, quàmque dexterrimè & astutissimè tertium Hieremiæ responsum mense Majo, Indiétione IV an. 1576 datum (Vid. *Schelestr.* l. c. p. 92 col. 2. post medium : & ipsam Hieremiæ Epistolam, p. 147 & 148, unà cum reliqua elucidatione Doctrinæ fidei, apud Græcos receptæ, & per plura ibi folia recensitæ, à pag. 149 & seq.) Crusius in sua Turco-Græcia dissimulârit. Qua de re etiam Vid. *Cuperus* T. I. Aug. in Hist. Chronol. Patr. CP. p. 232. à n. 1395 ad 1400 : & p. 233. n. 1404. Add. *Ind. Rom.* noviss. p. 279. ubi inter I. class. prohibitos Crusius numeratur.

CUROPALATES.

CUROPALATES Joannes, sive *Scylitza*, aut *Tharacesius* (cujus supra in Cedreno meminimus) Protovestiarius Aulæ CPolitanae, tum magnus Vigiliæ Drungariatus, sive Excubiarum Præfectus, ac denique Curopalates, scripsit Epitomen historiarum ab an. 811 usque ad an. 1057, cum adhuc Protovestiarius esset. Auxit verò eandem ab an. 1057 usque ad an. 1081, cum jam Curopalatis munere fungeretur. Atque hujus secundæ Partis, à Cedreno non interpolatæ, exemplar antiquissimum MS. in Bibliotheca Cæsarea asservari testatur Lambecius l. 2. Bibl. Cæsar. c. 7. Vid. *Graves.* P. I. T. IV. Colloq. V. p. m. 109. Prodiit primùm Venetiis Curopalates, latinè redditus à Joan. Bapt. Gabio: nusquam verò (ut ait Labbeus T. I. Script. Eccl. p. 555. verbò : *Joannes Curopalates*) Græcè tota ejus Historia fuit excusa: sed anno 1647 cum notis P. Goaris utraque dialecto subjecta sunt tantùm Excerpta sive gesta ab an. 1057 ad 1081, post Compendium Cedreni. Atque hoc ipsum, neque amplius quidquam, præstitit Editio Veneta de an. 1729 T. VI. Hist. Byzant. ubi similiter post Cedrenum non nisi Pars altera Historiæ Curopalatis (quæ scilicet in Cedreno non existat) ab an. 1057 ad 1081 Græco-latinè jungitur.

Quamvis verò Scriptores passim in Historia, præcipuè rerum Orientalium, Curopalatis testimoniò uti, & in plerisque, sui maximè ævi, aut viciniorum temporum atque locorum gestis fidem habere soleant (Vid. *Pagius* in Crit. T. IV. *Acta SS.* T. I. Aug. in Hist. Chro-

Chronol. Patr. CP.) fabulis tamen atque erroribus non parùm resperfa creditur illius Historia. Sic v.g. Cuperus noster T. I. Aug. l. c. p. 125 à n. 741 ad 746 advertit, quòd Scylitza Michaëlem Cerularium ob superbiam suam in exilium à Cæsare relegatum disertè commemoret, & nihilominus eidem mortuo affingat miraculum: quod Baronius jure merito explodit, & nec ipse Zonaras, quantumvis Schismaticus, ac prope Curopalati coævus referre est ausus. *Stiltingus* verò T. I. Sept. p. 473. n. 68 in vita S. Stephani Regis, ubi de conversione Hungariæ & conversionis tempore agit, ita inquit: *Curopalates, quante auctoritatis esse possit, si Cedrenus* (qui sua scilicet ex Curopalate decerpfit) *anilium fabularum sit Scriptor* (qualis à Lipsio vocatur. Vid. suprà *Cedrenus*) *collige ex utriusque consonantia, que maxima est in gestis temporum, de quibus agimus. Tandem Græcos illos tres* (scilicet Curopalatem, Cedrenum &c. (fidem non mereri de re tamdiu præterita tamque inconcinne enarrata, evincent argumenta, que subjungo. Ita *Stiltingus*.

CUSPINIANUS JOANNES, seu germanicè *Spießhammer*, celebris Philosophus, Orator, Historicus & Medicus, vitam posuit an. 1529, postquam Austriæ Chorographiam, Ducum & Archiducum Austriæ Historiam, Diarium de Congressu Cæsaris Maximiliani ac trium Regum, Opus item tum de Consulibus Romanis, tum de Turcis, præcipuè verò Vitas Cæsarum Romanorum elucubravit. Monuit autem jam *Possevinus* in *Bibl. Selecta* T. II. l. 16. de Historicis C. IV. p. m. 372. quòd Cuspiniani liber de Cæsarum Vitis inscriptus (varii enim errores in eo inspersi sunt) eo usque ab Apostolica Sede prohibitus sit, quamdiu emendatior non prodierit. Vid. noviss. *Ind. Rom.* p. 224 & 202. Similiter *Gretserus* in *Basilico Doro* sive *Commentario Exegetico Cuspinianum* vocat Scriptorem in Romanam Sedem præventum, utpote qui *Fridericum II*, Pontificis jussu, venenò necatum inter cetera falsissimè scripserit. Verùm suspicari potiùs malim, Errores hosce non tam Cuspiniano, quàm *Nicolao Gerbelio* esse adscribendos. Cùm enim Cuspinianus, morte præventus, Cæsarum vitas nec recognoscere amplius, nec prelo committere posset, primum post illius fata *Nicolaus Gerbelius*, Argentoratensis Historiarum Professor A catholicus, ultimam huic Operi manum admovit, & præfixâ Cuspiniani vitâ illud ad publicam lucem promovit. Quoniam verò heterodoxis Editoribus (ut alibi monuimus) nihil familiarius est, quàm ut Catholicorum scripta autographa, eoque inedita, neque alterius conspectum tam facillè posthac subitura (ne scilicet deprehendi fraus possit) sibi sollicitè comparent, eaque postmodum sive præ-

fationibus suis, five affumentis corruptissima edant: inde profectò non vana nascitur conjectura, eandem sortem etiam Cuspinianum circa posthumas suas Cæsarum Vitas à Gerbelii manu fuisse expertum; præcipuè cùm ex Indice Rom. p. 301. jam habeamus compertum, etiam ipsius Gerbelii Scripta inter primæ classis Auctores prohibitos recenseri.

D.

DACHE-
RIUS.

DACHERIUS Lucas, (aliàs Acherius) Ord. S. Bened. Congr. S. Mauri, Scriptor Gallicus, qui Parisiis mortem oppetit an. 1685, *Spicilegium Veterum Auctorum* edidit Parisiis an. 1665, & anno demum 1677 totum Opus absolvit. Fuerat illud primò in XIII Tomos formæ quartæ tributum; ast nunc ibidem an. 1723 recusum, Tria Volumina in folio complectitur: atque hujus secundæ, utpote emendatioris, editionis non solum meminit Cuperus noster T. IV Aug. in vita S. Theonæ Ep. Alex. p. 585. n. 31. sed & à p. 583 ad 585 simul observat, quòd Dacherius *divinando lassus, levibus ex conjecturis* Sancto Theonæ Alexandrino Epistolam paræneticam ad Christianum ethnici Imperatoris cubiculariam perperam abjudicârit. Unde non solum Cuperus l. c. sed & ipsi Benedictini PPes in altera Spicilegii hujus editione Dacherianas ratiunculas solidè confutârunt. Fuit nihilominus (ut Gravesonius testatur P. III. Tomo VIII Colloq. V. p. m. 180) & ex merito quidem hoc Spicilegium Dacherianum omnium literatorum plausu exceptum, utpote in quo quædam Scriptorum Opera, Epistolas, Acta & Canones Conciliorum, Historias seu Chronica, Vitas Sanctorum, Opera Poëtica, antiqua Tabularia, Documenta & Instrumenta, quæ in variis Galliarum Bibliothecis eousque absque publicæ lucis usura latuerant, Dacherius tandem resuscitavit, accuratè digessit, pulcherrimis notâs & Præfationibus explanavit. Eidem Dacherio etiam *Acta SS. O. S. Benedicti* maximam partem debere adscribi, Mabilonius ipse in Actorum præfatione testatur.

DAMIANI

DAMIANI Petrus S. patriâ Ravennatensis, ex Monacho Benedictino in Cœnobio Fontis Avellani, five S. Andrea de Avellana, S. R. E. Cardinalis & Episcopus Offiensis à Stephano IX creatus, legationibus, laboribus, scriptis & sanctitate percelebris, obiit Faventia an. 1072 (ut contemporaneus Bertoldus Constantiensis testatur) 23. Febr. Vid. *Acta SS. T. III. Febr. ad d. d.* Meminere eximii hujus Viri quâ
Veteres